

Eremi Camaldul. ex legato M. D. Feliciani Nasowicz Cap. Kart.

Ad Varsav

Prænobili, ac Strenuo
Domino, Domino
JOACHIMO ENZMILLERO,
De, &, In Kirperg,
WINDHAG, PRAGTALL,
ET SAXENEGG,
S. Cæſ. M. Conſiliario,
&, Regiminis Inferioris
Auſtriæ Provinciarum,
Aſſeſſori &c.

JOHANNES BISSELIUS,
è Societate JESU.

S. D.

L*Ibellus iſte, qui* Viennam *ad ſinum Tuum (Prænobilis Domine) tanquam in Portum; abnavigat; ſi Poëta foret: Tecum multa fortaſſe loqueretur;*

quibus Tu ſecurâ credulitate nunquam inſiſteres. Nam, quid vulgò, Vatem inter, & Figulum, intereſt? quorum ab utroque, QUIDVIS EX QUOVIS, utcunque libuerit, fingitur & diffingitur.

Nunc meus hic Labor, Carminum abſtinentior, plerumque Proſâ ſimplice ſtylum deducit: ac, ſiquid exſpatiatur nonnunquam Rhetorum Amplificationibus; nihilominus vulgò tam adſtrictâ Veritate ſe compeſcit, quàm Solutâ ſermonis libertate diſcurrit.

Et, ut Fidei, ſub religione ſuâ peccare veritæ, ſpecimen capias, in ipſa ſtatim opuſculi fronte: Sepone quæſo, tantiſper, JOACHIME, Palatinas curas: & agnoſce, quæ Tibi ſcribo. Videbis; etiam procul Apolline, me DELPHICA, tamen,

men, *ac Certa*, *fari: dum acceßûs ad Te mei caussas*, *ac Merita Tua*, *delibo.*

Tu *nostræ* SOCIETATI, *jam inde propemodum à puero, studuisti*; *non litteris tantùm & disciplinarum haustu: sed affectûs cujusdam interioris*, *penitusq; combibiti*, *Succô*; *qui frequenter (namque memini) familiaribus etiam colloquiis exundans*, *amicissimè se profunderet*, *ac sapore quodam efficaci etiam audientes imbueret.* Tu *ejusdem Instituti Collegiis aliquot*, *fortunisq; domesticis*, *solerti Themide, promovendis*; *Prudentis Justitiæ* Tuæ *sic Rudimenta exercuisti*, *ut jam tunc Emerito veteranoq; Labeoni par esses.*

Tuæ *tunc Doctrinæ dexteritas*, *etiam* CÆSAREAS *aures*; *ac mox* VIENNÆ *ocu-*

los impleVit. Quare Majeſtatis, quæ in Forò Terrarum ſumma eſt, Conſiliis admotus; & Auſtriacorum Regiminum diVerſis immiſſus Curis, ſic Eruditionem & occupationes Moribus immiſcuiſti; ut Pietatis interim ac Cœli *recordareris: & mortales, de* JURIS-PRUDENTIA *malè ſentientes, credere cogeres; In Hominis* JURE-CONSULTI *Sacrario,* ASTRÆAM *hodie non* Fabulam *eſſe, ſed* Veritatem. *Ideo, neq; nunc* VIENNÆ, *nec olim* LINZII, *quamdiu illic eras, prætermittebas; Sacris, ac Religionibus, & inter has,* Societati, *bene impenſeq; Velle.*

Quæ mihi, ſi Vel ſola daretur; colendi Tui cauſſa grandis offerretur, atque ponderoſa; ab homine Societatis, Virum, *Religionis hujus eximium amatorem, impenſiùs honorari.*

Pri-

Privati verò tituli ad Te, (etiam è longinquo) observandum, longè plures, & in cumulum, nullô numerô castigandum, excursuri: nisi meminissem; Epistolam debere me, non, Librum ante Libellum, scribere.

Quoties equidem Tuorum décorum recordatione (quod sæpe fit) mulceor: semper Fortunæ Tuæ, magìs tamen Indoli, gratulor: quâ non Tibi soli prælusisti, sed Mihi quoque profuisti. Vetus, & ab unguiculis adhuc cereis, repetita notitia: tum, Patriæ *communis aura: convictus atque contubernii societas indivulsa: Studiorum propemodum fraterna (& hôc ipso dulcior) æqualitas: Otiorum perinde, ac negotiorum, familiaris mixtura: majorq;, quàm inter Pyladem Orestemque, Arcanorum fidem*

des: Denique, Vitæ totius prorsus Academicum consortium; vix me quidquam Ornamentorum Tuorum ignorare sinunt. Iisdem diu in Hortis, easdem Spinas, eandem Rosam, tractavimus. Intervenerunt his, Tuæ Tuorumq; in Me, ac meos, beneficia, dignissima vel Olympicis Aris; nisi super illas, etiam in Pulve*re, scriberetur. Quorum omnium tamen Meritorum, semper apud me princeps punctum tulit: Tua* Vita: *quæ Adolescentiæ meæ lubricum (fortassis alioquin in præceps iturum) saluberrimis Exemplis, & Vivo virtutum retinaculô, validè coërcuit. Donec, ita Numine placidùm disponente, Te* Justinianus, *ac post hæc, Curia: Me* S. IGNATIUS, *(Teipso currentem stimulante) ad se pertraxit: in Superis olim, quod spero, recompe-*

men-

nendos. Ac ne post ista quidem, epistolarum innocens ac syncera, inter Nos, alternatio quievit: cùm Tu, tantorum à Tribunalium diphtheris, non gravareris, ad Codicillorum Meorum vilitatem descendere: cùm neminem hinc ad vos euntium, temerè prætermitteres, cui non rerum mearum desiderium, sollicitâ indagatione, testatum relinqueres.

Vide proinde, JOACHIME; *quot nodis, Gordiô intricatioribus, obstrictus* TIBI; *quot Nominibus, Dominatis, Peregrinæ gentis* ICARIAM *meam, Tibi debeam? Genus scripti, fortassis nec Gratum omnibus, ideoq; Patronô fulciendum: nec omnibus Ingratum, propter humani genii Curiositatem; quæ sæpe Nebulas aliquas mavult, quàm Meridiem: &, Errare*

non faſtidit, dummodo Divinandi campum, per Vocum ignotarum ambages, occupet. Non ſemel inter nos, per ſolemnes Julii menſis Vacunas (nam probè recordor) iſtum CLAVIS *indigum, ac pæne Myſticum ſcribendi Ritum, agitabamus. Is ergò nunc demum, ex adytis ſuis, ſed timidè, fortaſſeq; non ad votum, procedit. Quantuluscunque tamen Labor; ad alium non debuit ab Auctore, quàm ad* TE-IPSUM, *rectô Dedicationis tramite, proficiſci: ut primos Styli fructus ille præcerperet, qui pæne radicem illi vitamq;, & (ſiquis eſſet) Succum, dictâſſet.*

Admittes proinde fronte non aversâ, Pudicam, neque ſine Verecundo Velo apparere audentem, ICARIAM. *Nunquam Tu, nec ab iſtis quidem Muſis, alienum ſupercilium portâſti. &, quid*

quid Alienum *dico ? Etiam in Penetralia quondam intrâsti ; nec Latiô tantùm, sed etiam Hellade conspicuus, Maronis Hippocrénen, & Tullii fluenta, usque ad Coronam & Laurum, bibisti. Quis scit ? an non etiamnum, à* TRAJANO *tuo digredientem* TE, *Secundum & alterum* PLINIUM, *possint subinde Pugillares & sylvæ nostræ, redivivâ voluptate vellicare ? ut* Sanctum, *censeas* furtum, *aliquid interdum Negotiis ereptum, Bonis litteris dare ; quod mox fortiore nervô Curiæ restituas. Certè quidem vel ideo Nomen tuum* ICARIÆ *Vestibulo præfixi : ut scirent Intrantes ; ista gestorum breviaria* DOCTIS *potissimùm, & Occupari suetis Lectoribus, id est,* TIBI, *Tuiq; similibus, esse scripta : quippe, qui nôssent,* Intelligere *plura,*

quàm Legere. ILIBESSUM *igitur Tuum, ſi volvere vacabit, Cognoſce: ſi non vacabit, ſaltem ne Oblíviſcere. Satis Tibi* Lectus *ero; ſi, Animo vetere, commendatus ac* dilectus. *Vale. Ingolſtadii, Calend. Majis.* ANNO M. DC. XXXVII.

LECTORI
SALUTEM, &, LUCEM!

IAm antè præmoneo ; Fore non paucos , qui , ad primum hujus Operis aspectum , exclamaturi sint ; SATYRAM esse, vel , acerbum DENTEM! &; LUSINIAM, trans mare Britannicum volantem, in ICARIAM commigrâsse.

Quibus equidem diffiteri nolim ; subinde me sceleratum in sæculum stomachari : Novisque sub nominibus , Veterem Censorinum introducere. Nego tamen , & ad ravim usque dejero ; SATYRICON Auctori

ünquam in mentem veniſ-
ſe. HODOEPORICUM, nec
aliud,ſcribebam: quod,qui
Rutilio priſco, qui Jodoco
Syncero, cæteriſque recenti-
bus, licuiſſe patienter fert;
idem & noſtra ferat, quod
certè faciet, ſi Conſilii no-
ſtri cauſſas audierit.

Fuit ante quinquenni-
um inter amicos quidam,
quem VERSIUM, contur-
batis legitimi Nominis ele-
mentis, toto libro nuncu-
po. Is, exactione multipli-
ci, tunc maximè calamo in-
tentum, rogavit; ut ITER,
quodcunq; memoriæ inſe-
diſſet, Romano ſtylo retra-
ctarem; quod, mediô inter

ple-

plenam Historiam, & stri-
ctos Commentarios inces-
su, specimen otiosis daret;
quidnã, exactâ viâ longiore,
per compendium in memo-
res ceras referrent. Parui
tandem, multas inter occu-
pationes: &, quantulum
horæ subsecivæ permise-
runt, obsecutus sum; non
tam rerum necessitati, quàm
Amicitiæ, quotidie aures
obtundenti: ac proximum,
quod susceperam, ITER
consignandum arripui; ma-
gìs VERSII votum, quàm
Judicium meum, assecu-
tus: cui plura procul dubio,
politioraque debebantur.
Intra Nominum quidem
Tene-

Tenebras, sed nihil extra Veritatem, incessi.

Quare desinant suspicaces interrogare; Fictorémne potiùs, an Historicum, profitear? QUOD VIDIMUS, QUOD AUDIVIMUS, oculati auritique testes produximus. Et leguntur in hoc Libello non pauci, præter POLALTUM & THEANGULUM superstites; qui me, ad Scrupulum usque Veracem, confitebuntur. Vindicare me quoque à figmentorum notá, possunt quædam hinc indè Volia, protritaque, ac vix Narrationis molestiam promerentia. Quæ tamen ideo non fasti-

divi; quoniam SIC, nec aliter, geſta; Veritatem, ſi negligerentur, jam aliquo fulcro deſtitutam reliquiſſent.

Nolim tamen uſque adeò hæc ipſa Vilia quiſquam æſtimet; ut non abjectiora, magísque proterenda fateatur, Hypogææ antra, Anemonis adulterantem Uxorem, ſcabioſiſſimi Alitophili Tamiam & Amaryllidem, ac ſiquid aliud; Maris è ſpuma natum, nunc aut olim, omni algâ projectiùs ſordeſcit. Libidinum enim argumentis ut nihil vulgatius, ità nihil conculcatius, eſſe poteſt.

Vidéris, antequam Le-

ctio-

ctionem ordiaris, à me CLA-VEM poſcere, ad ICARIÆ pandendas Fores. Ignoſce mihi, Lector: non habeo, non poſſum dare, cum BENNONE, in undas projeci: ac, ſi roges, In quáſnam illas? In ICARIAS; quæ omnibus Thalaſſographis ſunt notiſſimæ.

Supereſt unicum, quô te juvem: ICARIÆ ſcilicet chorographica Tabula; quam etiam adjicio, limitibus, urbibus, fluminibus atq; ipſis adeò Gradibus, diſtinctiſſimam. Unicæ Urbis, aut Amnis unici propriô deprehensô nomine, ſi deinceps ſitum ſitui, locumque

loco contuleris; jam totam Provinciam occupaveris. Quin, ſi Geographiam vel eminus ſalutâſti, Globum accedis terreſtrem? & intra Gradum 49.& 50. indagas, quæ Terrarum huic ICARIÆ reſpondeat? Ego pro te Homeri Pediculos, & Ariſtotelis Euripum, depaciſcor; niſi difficultatis nodum, adhuc ante Noctem, extrices. Ergò Tabulæ felix eſt aſſecutio.

Sunt alia quædam, Locorum Perſonarumque, extra Chorographiam, nomina; quæ pæne vix ipſe ſatìs teneo. vereor, ne effluant!

In his nonnulla, com-

mutatis duntaxat litterulis disturbata, deprehendi possunt; si scrutaberis. Ejusmodi sunt, *Versius*, *Polaltus*; *Ilibessus*, *Arcondus*, *Alcorus*, *Therulanus*, *Lucianus*, *Histor*, *Pilsia*, *Brigenorma*. Quid vetat, *Pilsiam*, tibi fieri Lipsiam: *Arcondum*, Conradum? alia aliter reperiri?

Sunt quædam, mediæ cujusdam molestiæ; Puta, *Synandron*; quem, Virorum sacram congregationem, licet interpreteris. Sic *Lithodia*, Saxonia: *Tripolis*, Praga: *Laura*, Carthusia: *Athenæis*, Ingolstadium: *Pelicani Lycæum*, Dilinga, tibi fiant.

Ulti-

Ultimæ molis & operis sunt cætera: in quibus suadeo, Conjecturis utaris; & Divinatorem agas. Sede, & unguem rode: cumque omnia dispexeris; sic in Pagella separata, si placet, scribe.

Annibal Aquilonaris. Quid si, Rex Suecus? aut forsasse Dux Vinariensis? aut alius?

Alaricus. Quid si, Gustavus Sudermannus? aut alius ex posteris Alarici?

Leontarchus. Quid si, Rex Bohemiæ, propter Albi Leonis Insignia? aut Co-

mes Löwenstainius? aut quivis alius?

Neachilles. Quid si, Invictissimus Dux Tillius? aut Pappenhemius? aut Tampierius? aut alius?

Essæus. Fortasse, Monachus, aut Religiosus alius.

Essæarchus. Forsitan Religiosorum gubernator.

Druida. Fortassis Canonicus. aut Sacerdos, non-regularis. *Sic in cæteris.*

Jamque vale, benevole Lector; & meô in his Labore, tuoque Intellectu, felix perfrúere!

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS, SOCIETATIS JESU, per Superiorem Germaniam.

ICARIAM P. Joannis Bisselii, *Soc.* JESU *Sacerdotis, Censorum judiciô luce publicâ dignam, Ego* WOLFGANGUS GRAVENEGG, *Societatis* JESU, *per Superiorem Germaniam, Præpositus Provincialis, acceptâ ab Admodum* R. P. N. MUTIO VITELLESCO, *Societatis* JESU *Præposito* Generali, *potestate: Typis publicari permitto; Facultatemq́ meô chirographô, & impressô officii Sigillo, munio.* Monachii *XV. Aprilis. Anno* M. DC. XXXVII.

●

Wolfgangus Gravenegg.



Icariam in Pelago dedit olim Fabula: quā nunc
Inter Stagna sitam comperit Historia.

LECTORI.

IN hanc ICARIÆ Recuſionem, Alli-opoli factam; propter Auctoris, longiſſimè diſtantis, abſentiam, irrepsêre verborum, & interpunctionum, menda (ſicut refelli poſſunt ex Editione I. Ingolſtadianâ) nec pauca; nec ſemper exigui momenti. Quorum idcircò (prætermiſſis levioribus) præcipua, Opuſculo ſubnecti, non operæ modò pretium, ſed & remedium eſſe, viſum eſt, atque neceſſitas, ne vitia, non magìs agnoſcere, credi poſſimus, quàm approbare. Sunt autem, quæ ſequuntur.

ICARIÆ RECUSÆ *ERRORES.*

IN dedicatoriæ pag.)(2. Johannes. *corr.* Joannes. pag.)(2. Delphica, *c.* Delphica. p. 12. v. 13. dontaus. *c.* donatus. pag. 26. v. 2. à f. Symboléque. *c.* Sŷnbolóque. p. 56. v. 2. novœ. *c.* novæ. p. 61. v. 1. meredies. *c.* meridies. ib. v. 9. Vallamniã *c.* Vallamniam, p. 62. v. 1. expeditá

c.expeditâ.p.64.v.10. egérq; c. ægérque.p.66.v.9.tribunalem c.tribunalia vel tribunal.p.67.v.5.metalláq; c.metallóque.p.68.v.4. exspirâſſe c. exſpirâſſe. p.70.v.4. à f. trans fugientis c.transfugientis. p. 73.v.4.à f.annîs,c.annîs.p.75.med. pulcri, c. pulcri p. 81. med. Ne Achillis c. Neachillis. p. 85.v.8. à f. acconitô c. aconitô. p.90. v.7.à f. excurſio. c.excurſio,p.93.v.8. inſidarum c.inſidarum. p.97.v.7. turrim c.turrim.p.104.v.10.à f.gia,c. gia.p.110.v. penult. parópſidem c. paropſidem. p.111.v.16.fabuloſum c.ſabuloſum.p.141.v.13. tectum c. rectum.p.115.v.2.à f.ac c.at.p.126. v.1. Zabl c.116. 116.v.1. hi c. hîc. p.120.v.5.à f. aſpiratîs c.aſperatîs. p.121.v.15.datò c. datô. p.123.v. 2.à f.ſius c.ſius.p.124.v.4.locuſtam c.locutam.pag.126.v.9.Putavit, c. Putavit (p.127.v.4. vôta c. vota. p.133.v.7.à f.Sebaſtenœ c.Sebaſtenæ.p.

næ. p.137. v.7. à f. ſtratagemate c. ſtrategemate.p.138.v.11.Quis cõtra nobis? c.QUIS CONDERA VOBIS?p.149.v.10.donavit,c.donavit.p.151.v.9 à f.locô c.locô.p. 155.v.2. Angelicô,c. Angelinô,p. 164.v.5. gyneceúm. c. gynæcéon. p.187.v.7.à f.ſenties c. ſenties.pag. 191.v.12. Bizantii c. Byzantii. ib. v.6.à f.ignorâffe c.ignorâſſe.v.ult. gnaret.c.gnaret p.206.v.5. ſolam. c.ſolam, v.3. à f. floreſcit, c. floreſcit. p.210.v.4. ac,c.at, v.9.pródiret.c.prodiret.v.4.à f.ad c.ad-(heiſt admonentis) p.215.v.14. arduæ,c. arduæ. p.217.v.4. asfidente c. aſſidente. p.219. v. 5. remiſſionem c. remiſſiorem. p.231.v.7.à f. ſortunarum c. fortunarum. p.236.v.4. à f. ſollicitudlnem c.ſollicitudinem. p.237.v.1. immuni tum c. immunitum. p.244.v.ult.qua c.quà. v.8. à f.ponentis,c.ponẽtis. ſteht ſo v.3. à f.Parnaffum c.Parnaſſum.ib.tempori;

pori; *c.* tempori; p. 279 v. 8. lemni-
cósque, *c.* lemniscósque, p. 29¹. v. 5.
Mariaveum, *c.* Marianeum, p. 293.
v. 2. fœminei. *c.* fœminei v. 9. à f. eſt.
c. eſt, p. 303. v. 1. cogo, *c.* cogo. p. 306.
v. 7. Fundamentaqnatit, *c.* Funda-
menta quatit, ib. v. 3. à f. Occulato
c. Oculato. p. 316. v. 8. à f. prori-
perent *c.* proriperent. p. 321. v. 2.
pondere *c.* pondere. p. 324. v. 8. à f.
Mec *c.* Nec. p. 325. v. 12. iſt, *c.* eſt, p.
329. v. 5. à f. Nimphîs, *c.* Nymphîs,
p. 334. v. 3. ſolita *c.* ſolitâ. p. 338. v.
ult. vertat. *c.* vertat, p. 339. v. 2. tra-
xit. *c.* traxit, p. 340. v. 10. culpam. *c.*
culpam? p. 341. v. 2. Abraſis *c.* Ab-
raſit. v. 7. Cadaver. *c.* Cadaver,

INDICIS ERRORES.

Numerô 24. Timidi *c.* Timidi.
86. Neapolydii *c.* Nea-
polidii
128. Bityniæ. *c.* Pityniæ.
167. cæſum, *c.* caſum,
Ibid. ſcriptio. *c.* deſcriptio.

I.

ICARIA.

Cùm nos Tiberiâ gladius Aquilonaris Annibalis ejecisset; sedes incertas, & hospitia diversa quærebamus. Mecum erant Versius & Polaltus, antiquæ bonitatis ac fidei comites. his, inter ipsa profectionis initia, quartus accesserat Beryllus mercator, nec vitæ nobis socius neque viæ, nisi in brevitatem, & paucas horas.

Statim superatis montibus, qui Bunadij fluminis ripam sinistram inumbrant, in alieni Solis meridie calere cœpimus: cúmque propter rivum, nescio quem, sedentes interjungeremus, ex aquarum fuscâ pæné-

que ferrugineâ tincturâ didicimus, nos jam in *Icariam* esse delatos.

Eâ tempestate Icarienses propemodum omnes, obsequium nutans ac venale circumferebant: & in *Alarici* adventum arrectâ spe, plus Aquiloni, quàm Aquilæ studebant. At nos tamen, in tantâ regionis & incolarum mobilitate, caussæ bonitas, ac Cœlum (commune Innocentibus tegumentum) solabantur: neque dubitabamus, per obsessa militaribus præsidiis itinera, medii intrepidíq; procedere.

2. Quærentibus, propinquante jam ve[illegible]ere, sitis & lassitudinis aliquod fomentum; in villa, quam Ursiniam nominant, ultrò præstò fuit diversitor. is, humanitate non ex-

exſpectatâ, præſtolantes ante ſtabulum tecto ſuccedere coëgit: & ſuccisarum arborum truncis duobus, in ſupplementa ſellarum, advolutis, in veſtibulo domûs conſidentes juſſit acquieſcere.

Et ipſe quidem linteo præcinctus purulento, de tigno, geminis furcis impoſitô, vitulum jugulatum ſuſpenderat: quem in perendini nuptias, neſcio quas, lanius ſimul & caupo, præparabat.

Ad nos autem, paternam vicem impleturus, Filius impubes hybernaculô progreſſus, puer duodecênis conſolari feſſos viros cœpit, quatuor ſimilagineis prolatis panibus, & hordei decocti acidiſſimô ſuccô: cujus nihilominus Sextarii pretium duplex erat Seſtertius.

Facilè fuit, Citò ſatiari, præ-

ſertim nauſeantibus. Igitur, convaſatione factâ; Quantum deberemus? rogare cœpimus: ac didrachmam exigenti hoſpitæ (quæ & ipſa tandem ſupervenerat) Beryllus, comes noſter, nummum aureum exprompſit, omnium onus ſolus relevaturus: cauſsatúsque eſt, minutiore monetâ conſultum non fuiſſe, ſe tum feſtinantem, tum Viatorem, gravari.

Sed negavit interveniens paterfamilias, Aurum ſe de manibus Tiberienſium capturum, ſi aliud dare non poſſemus; quoniam via ſupereſſet ingens, ſe potiùs ſymbolæ nobis inducias indulturum, quàm metallô pretioſô ſpoliatos ad incitas redacturum, cùm præſertim tantum æris gravioris penès ſe non eſſet, quantum Aureo redimendo exigeretur.

redi-

reditum igitur noſtrum ſe patienter exſpectaturum : & ex iterato diverticulo pretium duplex unâ operâ accepturum.

Paſſus eſt ſatisfieri ſibi Beryllus ; Auróque recuperatô, & fide datâ, ſi rediret, Se & vetus nomen & novam ſymbolam unâ penſione deleturum, diſceſſit.

Atque ille quidem, nobis valere juſsîs, in diverſa, ſic exigentibus viæ rationibus, abiit: nec multò pòſt (ut deinde compertum eſt) à prædonibus interfectus, fortunæ flagitiô nunquam hucusq; Urſiniam rediit. Hoſpes verò deceptus, facilitatem ſuam hodie alieno in tergo punit ; & ad me venerunt, qui memorarent, Didrachmam neſcio cujus fugitivi mercatoris, in rationes ſuas intrâſſe.

3. Nos ex Berylli digreſſu, ad

ad triadem, numerum perfectorum, redacti, de Villa discedere: mox per agrorum obliqua festinare cœpimus. Sed viæ dux Versius, quamquam Icariæ cæteroquin itinerúmq; non rudis, identidem exerrabat: & (quod credulis necessariò contingebat) in erroris consortium, etiam me Polaltúmque pertrahebat. donec agricolam nacti Senem, &, ut apparebat, otiosum, illius auspiciis ad militarem redire didicimus.

Is, cùm etiam non rogatus anteiret, ac misericordem operam insuper colloquii vicibus cumularet: super *Alarico* multa, plurimáque super *Neachille*, sciscitabatur.

At nos sermonum cautiores, quàm locorum, Seni curioso, quæ visum est, respondebamus. Et

Et ille diſſimulationis noſtræ maturè ſatur, nobis longum vale dixit, jam in occaſum die properante.

Produxi ego de pera ſacratæ Ceræ amuletum, vitreis utrimque orbiculis, & æneæ bracteolæ circulô, incluſum. Quod cùm Vetulo porrexiſſem, adjectô, Non ſolere nos beneficia, ſed nec poſſe quidem, pretioſiùs recolere; reliqua DEUM & MARIAM ei ſuppleturos: verſare ille inter manus munuſculum incepit. mox, curioſiùs per vitrum immiſsâ oculorum lippitudine, ſciſcitari; Et quid ergò intus conderetur?

Reſpondi; Cereum *Agnum*. Cui ille ſacrilegus; In arvo, inquit, proximô, Quindecim Oves, & ſex Agnos, nudiuſtertius paſcebam: & omnes quidem Lanigeros. Sed incurſantium

militum rabies & avaritia, nec unicum mihi fecit superstitem. Qui tamen, si restare vel Cereum *Agnellum* didicerint; ut sunt ad novas possessiones auritissimi, timeo, ne confestim redeant; & cum hoc tuo Amuleto etiam Domum meam reliquã, ac me quoque unà, prædatores asportent.

Igitur (quod pace tuâ fiat) etiam hoc ipsum donum tuum recipito. Cúmque dicto, reddidit atque abiit.

Non erat arduum suspicari, Hæreseos inveteratæ Senecionem, in ludibrio sacrorum tam amaro, plus Religionis odiô, quàm direptorum metu, laborare: talémque itineris ducem atque comitem, plus in pectore Sinonis, quàm Achatis, habuisse.

4. Ceterùm, cùm progre-
de-

deremur, nullô jam ſemitam docente; in Vallem quandam obſcuriſſimam, ac præter hoc etiam nebulîs veſpertinîs humidam, incidimus. Vaporum originem excitabat uliginoſum Solum: & umbras, præter crepuſculi nocturni allapſum, duplicabant, utrimq; de montibus impendentes prædenſæ quercus. Nec ſciebamus errantes, quorſum tenderemus? Pedes quoque, jam antè laſſatos, mactabat inſuper mollis, & tantùm non cerea humus, incedentium veſtigia abſorbens.

Ac pernoctâſſemus, ut reor, eódem loco, deſperatione ſoporati: niſi fortuitò conſpectus Puer paſtoritius, ad voces noſtras, de montibus in auxilium deſcendiſſet. Hic perplexos expedivit: & plurimùm jam avios, in viam reſtituit.

Agebat is ante ſe porcos aliquot, quos propiùs vallem eo die paſtos, nox in haras redigi ſuadebat.

Incredibile planè memoratu eſt, quantum in hoc puero oris, & garrulitatis eſſet. De *ALARICO*, de *LEONTARCHO*, de *NEACHILLE* diſputabat. &, quoties belli præſentis negotiis unguem infixiſſet; dici nequit, quàm nequiter & Satyricè de ſingulis argumentaretur. Centuriones, Duces, Tribunos, aláſque & manipulos, memoriter nominabat: ac peccata militiæ ſingulorum, tanquam ex Numinis & Nemeſeos tabulario, recitabat.

Denique; Quid vultis? inquit Puer. Icarũ in *ICARIAM*, & Helenam ad Menelaum, redire, Fatum eſt. aliter, citra mundi ruinam, ne ſperet Pul-

vinar

vinar suum Pax alma Imperii

Dubitare nos coëgit inexspectata Decreti hujus forma, In pueróne Pastor lateret, an Impostor?

Sed Versius tandem ad nos; Nolite, inquit, mirari. Icariensium omnium hic est genius. Salem habent, suo quisque in modio: atque utinam saltem minùs nigrum! Sed hi, quantum in profanis sapiunt, tantum eos delirare videbitis, quoties ad orthodoxa Sacra ventum erit.

Nam à Luciano Lemannico *ICARIA* nuper pleraq; infatuata, non unum Augiæ stabulum fovet, quod uno anno nullus Hercules absolvet.

Placuit illicò, verborum Versii periculum facere. Igitur ego, quod ab rustico Sene pium munusculum, ceu negle-

ctum, receperam: id offerre jam Puero cœpi, ſenſim ad villam ſuam deflectenti: gratiis adjectis, quòd is noſtrum commodum ſuo labore ductúque promoviſſet.

Hîc puer, detecto quidem capite, junctáque in dexteram meam ſuâ dexterâ, ſignificavit; ſibi donum placere. Sed mox non peritiùs, quàm Senecio, ſciſcitatus eſt; Quid eſſet illud, quo donatus eſſet?

Inſtruxi ego breviter ignorantem: & Polaltus noſter interrogans adjecit; Scirétne, Romanâ pietate, Cruce frontem ſignare? Soleréťne orare Deum? Salutare Dei genitricem? profiteri ſolemni voce Religionis duodenos articulos? colere Tutorem Genium? & id genus non pauca, in cumulum.

Uſus eſt paſtorculus in tot quæ-

quæſtionum nodos Alexandri ad Gordium compendiô: Unóque reſponsô, tanquam gladiô, interrogata ſimul omnia abſcidit, cùm diceret, *Neſcio.* Polalto multùm mirante, puer; O mi, inquit, ô domine: noli ex nobis hæc talia quærere: non ſunt iſta fori noſtri, non tractationis paſtoritiæ.

Nos greges armentáque numerata, ducimus ac reducimus, quæ altiora ſunt, altioribus relinquimus. In iſtis, quæ tu proponis, Cives & clauſi mœnibus oppidani, negotientur! Nos ruri, ſicut omnium liberi, ſic omnium ſumus incurij. Ità diſceſſit.

Videbatur mihi parvus nebulo dicere; *Quæ ſupra nos, nihil ad nos!*

5. Vehementer in hæc Polaltus

altus efferbuit, piæ indignationis motu, non magìs abeuntis Pueri cruditatem in divinis, quàm commune tunc regionis malum, Sacrorum socordiam, exsecratus. Et; Hi (exclamat) hi Sectarum fructus, hæ vindemiæ sunt pestilentium labruscarum! ut jam (si superis placet) impunè CHRISTUS, impunè Cœlum, quod tamen ante oculos pendet, nesciatur!

Et cui nam alii hoc tantum, tam immane Sacrorum odium, si non Luciani doctrinis, tribuam? Cujus cùm tertia quæq; vox sit, *EVANGELIVM! EVANGELIVM!* & (ô probrũ!) *REFORMATIO!* nihil ad mores tetrius, nihil ad divinorum curam nocentius, excogitatur. Hujus sceleftô decretô, jam mortalitati Peccare non tantùm licitum

tum, sed planè etiam Lex est, & ferrea Necessitas.

Hac opinionum medullâ Senes primùm ac majores, intus & in ossibus implentur: postea matres etiam cum lacte, patres cum pane, in suorum pueritiam venena transfundunt.

Hinc, Rectiora doceri, tanquam urticam fugiunt, delicatissimæ Opinionis insuefacti rosis, & Sardanapali plumulis incubantes. Taprobanen citiùs in Thulen, quàm Lucianicis imbutum erroribus animum, ad recta sensa, transportaveris.

6. Immò, inquit Versius, si scires, quàm iidem ad hoc ipsum in Pueritia suâ docendâ, pervigiles se præbeant: ut meritò pro miraculo sit, Puerum tuum tam pastoriè ignorantem esse. Docent certè: ac fateor,

Pra-

Pravè quidem illi, & ad prava: ſed tamen mediusfidius, accuratè. Ter quavis hebdomade; nonnullos autem apud populos quater, non modò pueros puellásque, ſed omnino, quidquid Minorennium cenſu æſtimatur, & in his etiam adultiores, convocant. abſentiam, quantumvis unicam, mulctis objurgant: conſtantem negligentiam vel proſcriptione, vel inſuper confiſcatione; plerumque ſaltem Infamiâ, quæ honeſtis pro morte eſt, publicâ traducunt.

Docentur porrò in conventibus per Muphtos ſuos, indefeſsè ſtrenuéque: neq; probrum eſt, Ignorâſſe, ſed Ignorantiam perennâſſe. Quæſtionibus certatur & reſponſionibus, contentione tantâ, quantâ vix pro & contra Agrarias, in Romano quon-

quondam foro; Ciceronibus adversùs Rullos, & Rullis in Cicerones declamantibus.

Premunt verò præ cæteris ea Religionum capita cardinésque, in quibus *Ecclesiæ* Lucianus obnuntiat. Adultos porrò, usque ad perfectionem magisterij, ea ſcire adeò eſt decretorium; ut doctrinæ Lucianicæ examine & exploratione, etiam Nuptiæ vel approbentur publicè, vel repulſam ferant. Hic conjugiorum lapis eſt Lydius: quem donec Sponſorum uterq; Muphtis exhibeat, poſt acerrimam quæſtionem; cœlibatu, toríque ſuſpendiô, tanquam Tullianô carcere, macerantur. putant enim (& verè) talem ut plurimùm fore prolem, qualibus orta parentibus prodierit. Atque hæc Muphtorum eſt Lucianicorum ſolertia.

No-

Noſtri, proh dolor! quantum in hoc plerumque ſudant? Frigére dicas illos, in medio labore. Quotus enim quisque erudiendæ ad pietatem pueritiæ operam vel ipſe ſumit, vel ſumptam ab aliis adjuvat? Etiam illi, qui tempus impendunt, vigorem non impendunt: dexteritatem (operum omnium caput) negligunt: ſeveritatem aut laxant, aut ultrâ modum, impatientes intendunt, nullâ nervi mediocritate. De abſentiæ ignorantiæque pœnis, altum ſilentium; & punire, tyrannicum putant; puniri verò, libertatis nequaquam Chriſtianæ. Interim nec ad præmiola quidem diſcentium, tanquam piſciculorum eſcam, confugiunt: & munuſcula, juventuti utique parabiliſſima, timidiùs (pæne dixerim,

rim, avariùs) quàm Elephanto ſtipem, porrigunt.

Fac tamen, Omnia fieri. ubi autem nonnunquam doctrina? ubi dictio, parvulorum auriculis accommodata? Quotusquisque illic, inter Hyacinthos & Narciſſulos aliter loquitur, ac loqueretur inter Pythagoras aut Platones? Alta humilibus, Theologica infantibus, theoremata vix natis, ſubtiliſſima viſcoſiſſimis adhuc cerebellis, non dicam ingerunt, ſed, intonant; &, quid mirum, ſi ſimul etiam terrent? ſi confundunt? ſi cum nauſea pertæſosque dimittunt? Qui tamen ipſi, ſi, ad audientium captum demiſsâ rhetoricâ, dicerent; ſi cum Pullis (quod ajunt) ſimpliciter pipirent, cumque Paſſerculis pipilarent; jam illa Orationis induſtria, tenerioribus

ribus aptata ingeniolis, ferret cum tempore pretium: & semina rudibus injecta glebis, quantumvis minuta, sensim in culmum eniterentur. Nunc, ut importuni doctores, ab non-intelligentibus non audiuntur: à peritis & prudentibus contemnuntur: à cæteris affectu dubio deseruntur. Ità patiuntur, quod solent parùm felices Medici; qui, cùm diem totum dictando assidendóque insumant, interea diætam prætermittunt: & adversùs morbum absq; successu pugnant.

Interim inficias non eo; Raritatem auditorum, ad frugis sterilitatem ut plurimùm vehementer conferre. Cadunt enim animis nostri Druidæ, quoties in vasto gurgite tam raros vident nantes; ac scilicet ad doctrinam suam, in magna populi

puli frequentiâ, tam infrequenter accedi deprehendunt.

Meminerint tamen Druidæ; Etiam his ipſis tam raris natatoribus, corticem deberi: & audientiam, quoties non habent, cogendam. Fatendum eſt, culpæ plurimum penès parvulorum parentes reſidére. Horum enim vel impietate vel incuriâ, juventus puerilior Catecheſin haud aliter, ac linguam Græcam Rudimentorum diſcipuli, oderunt. Monendi patres matrésq; ſunt, & objurgandi: Brachiúmque, quoties Verba non penetrant, armatum & profanum invocandum: ut pœnis ſaltem extorqueant præſentariis, quod futurorum metu non poſſunt.

Et profectò, Calamitas eſt iſta, non unum in terras noſtras *Alaricum*, nec unum Attilam,

tilam, ſed, quidquid à Septentrionibus flagellorum naſcitur, commerita; Tam negligenter à Majoribus formari filiorum mores.

Quod minimum eſt; *SCIRE* ſaltem parvuli diſcant, ſi nondum *FACERE* tenerior ætas permittit!

Hoc naturæ jura Parentibus præſcribunt: hæc lex eſt, nullâ relaxatione mitiganda. *QVOD GENVERIS*, Cœlo primùm, deinde etiam Terris & Tibi genuiſti. Quæ eſt igitur nequitia, ac certè quidem ſtultitia, In eo totum eſſe, ut proles Numini quàm maximè diſpliceat?

Ecce! arbuſculis modò protuberantibus, Cœlum aperimus & ventum, umbrîs noxiis circumquaq; repurgatis ac recisîs, ut proceritatis rectæ liber-

libertatem nanciſcantur ; nec in ſtolidas curvaturas creſcens frondium ætatula declinet. Vitulum, alvo modò effuſum, , vetamus à matre diſcedere ; ne temerè cúmque noxâ laſciviat. Pullos, ab ovo recentes, non illico gallinis eripimus, neque vagari ſine tutela temerè concedimus ; ne in ſpolium milvio cedant. Et quid vultis? Omnia tenera, quoquo modo noſtra, curamus, ut ſub regula noſtra ductuque adoleſcant. Solam *HVMANAM* progeniem, tanquam totius Naturæ partum ſpurium, ſibimetipſi ſuisque vitiis relinquimus : &, Recta nec ipſi doceri volumus, nec noſtros docere.

Summa querelarum mearum hæc eſt ; Ab ipſismet Parentibus plerumque liberos ſevocari diſtinerique, quò minùs

nùs adeò neceſſaria (quid e- nim Æternitate Deóque ma- jus?) maturè ſcire aſſueſcant. Id igitur rigore magiſtratuum ex- torqueatur, id urgeatur, id lege ſanctiſſimâ premitor ; Ut ad *Catecheſin* filios vel ipſi comi- tentur, vel per deſtinatos dedu- cant. Nec erubeſcant comita- tum genitores, genitricésque; quippe non infrequenter eo- rum dictaminum magnam par- tem inſcii , quorum ſcientia pueris inſtillatur.

Quæ, cùm de omni univer- ſim Pueritia declamem ; de Paſtoritia tamen & villicâ, pu- tem etiam Stentoris ac præ- conum voce , ad usque ravim intonanda. Non enim dici po- teſt, quàm hæc plebecula (non minùs tamen Chriſto pretio- ſa , quàm ſanguis patritius) di- vinorum ignorantiâ, tanquam ali-

aliquo Præscriptionis jure, passim utatur: &, priusquam interitûs sui caussas sciat, negligenter intereat.

7. In Alpibus Italicis, patrum nostrorum memoriâ, adolescens pastor repertus est; qui precari quidem ritè doctus, quid tamen crederet, aut quid supra se coleret, penitùs ignoraret. Itaque Soli, tam surgenti quàm occumbenti, quoniam radiis ipsius nihil speciosius, nihil dignius invenerat, bis quotidie genua ponebat. huic adorando precem Dominicam, & Deiparæ salutationem, quinquies pronunciabat.

Hoc in Italia monstri repertum est: quid novi adeò putem, quòd inter Indos Peruanos, non ità procul sede Julieni, prodigiosius aliquid, nostrâ ætate, prodierit? Ibi barbarus,

idolis ejuratis, baptiſmum & Chriſtum, ſed non & legis noſtræ precandique ſcientiam, memoriter acceperat. Quæ ruditas ut convaleſceret; hominum deſertô conſortiô, ſaltus inter & montes pecora cuſtodire cœpit. Erant hæc Camelis orientalibus non abſimilia. Cum hiſce brutis, quid exſpectares niſi, quotidie magis ut ipſe quoque obbruteſceret? Tandem pecudum ſuarum unam, advertit ſingulis diluculis, neſcio quid taciturnum muginari. Videte, per ſuperos! novum damnatæ ruditatis correctorem & Balaami redivivam aſinam. Admotis auribus, deprehendit articulatè pronunciantem beſtiam, quidquid prece Dominicâ, Salute Angelicâ, Symboléque Apoſtolicô clauditur: Quid ſperatis? quotidie eadem
&

& diu ex pecude audiendo, tandem didicit barbarus. inauditæque eruditionis fidém fecit, repentina ſtolonis hominis ſcientia: vitæque & morum ſancta civilitas induta.

8. Hæc Verſius, Polalto ſtupente, narrabat: me verò etiam credente laudantéque. Sed plenis interim ruinis præcipitata nox, omnia ſemitarum diſcrimina ſuſtulerat: ibamusque, amiſſo calle planiore, per viam militarem, cotibus quaquaverſum aſperatam: quas regionis illius indoles, etiam diurno viatori moleſtas, objectat. Quoties impegerim, impactumque cum gemitu retraxerim pedem; infinitæ foret arithmeticês, numerare.

Accedebat huic malo fames atrox, & elaſſati corporis ſuccidua debilitas Ad extremum

etiam collapsus sum, fallente per lubricum & saxa vestigiô. Sed Casus, superûm beneficiô nonnunquam salutaris, me etiam recreavit: & (quod in ruina paradoxum est) erexit.

Cùm enim in juniperetum, viæ imminens, cruentatos lapsu digitos impegissem: Ex flamma, quod ajunt, Cibum, & ex vulnere medicinam, petivi. Statímque cultrum eduxi reductilem, quem in usus extemporales mecum ab usque Parisiis gestabam: & ab radicibus abscissô levi, sed tamen fertili baccatóque frutice, decerpere juniperi grana, viresque debilitatas & esuriem consolari cœpi.

Roboris tantum deglutivi ut, quos hucusque vix insecutus eram, comites, eos jam longè præcederem.

9. Inter hæc jam etiam Luna nu-

nubium turbam dissipaverat: quæ clarissimò jubare simulac emersit; ad sylvæ desinentis confinia Villam aspexi capacem, ut apparebat, & ad similitudinem amplitudinis palatinæ muratam. Hujus prælustris candor fecit, ut eum mihi viæ terminum fingerem & blandirer. Quietis itaque tantùm certus, quantùm cupidus, pro porta consedi: ac, dum comites à tergo relicti subsequerentur, sicut manu juniperum tenebam, carmen sum exorsus & canticum;

Quid non Empyrei faber theatri,
Terrarumq́;, Saliq; machinator,
Quid non terrigenis, suos in usus,
Omni crescere jussit in novali?
Multos Gleba inarata nutrit,
Annos
Et vivax fenium tulêre quidam,

Qui Bacchum Cererémque nescie-
runt,
Qui vitem segetémque respuerunt,
Naturæ satìs est, quod obviá-
rit;
Nil sat deliciis. Eget Voluptas,
Et cœli vorat, & maris saginas,
Sylvarumq́ greges; nec acquiescit.
Frugales animas minutus implet,
Et quivis, ábacus. Stat orbe toto
Passim mensa parabilis famenti.
Quævis sylva fit hortus, & vire-
tum.
Ac vel juniperi frutex odorus,
Præbet semineci famis clienti
Cœnas, robora, canticum. Quid ad-
dam?
Posthac juniperum, Arborem
vocabo
Vitalem medicamq́. Medicamq́.

Sic

Sic cantillantem, aſſecuti denique ſocii invenerunt: & inutilis exſpectationis errore deprehenſo, de ſeſſione vanaque termini opinione, in viam reduxerunt. Ità, poſt bis mille denique paſſuum, ab eodem loco ad Arcem pervenimus, monti, quod apparebat, perquam edito impoſitam.

10. *DIVITAMNIA* dicebatur. Locus iſte diei primi labor, & curſûs meta, jam inde à Tiberiæ egreſſu, nobis deſignatus erat. Arci præerat vir nobilitatis equeſtris, Audifax nomine; perbonus, & in peregrinos præſertim miſericors. Cælibatum cum omni familia (quę maribus ſolis conſtabat) colens, ad continentiæ ſuæ imitationem, non paucos ejuſdem conditionis viros exemplô pertraxerat. Habebat ad ſecreta

consilia quendam patriâ Juvaviensem, Alcorum nomine, cognomentô Riccium; Audifacis, sicut auribus, ita moribus proximum. Tertius regiminis arbiter Agricolaus, nomine vultúque Niger; sed vitâ familiaritatéque candidissimus. Familiam reliquam, minùs eminentem, recensere minùs allaboro.

II. Nos Audifax, ut primùm advenisse comperit, & nomina quoque singillatim per janitorem recognovit; salvere de fenestra, per medium tenebrarum transmissâ voce, jussit. Mox, non exspectatô, ac nec accitô quidem famulô vel comite, sponte suâ per scalarum descensum, in amplexus properavit nostros.

Glíscebat tunc primulùm coorta ventorum importunior vio-

violentia: cujus flatu lumen, quod Audifax manu præferebat, extinctum, prohibuit hospitum advenarum vultus distinguere. Itaque, priusquam facem repeteret; Ubi, quæso, aut quis vestrum trium est Ilibessus? inquit, nam hic, si bene hominis nota deliquia in memoria habeo, primus in via defecit: & ob hoc hospitali dexterâ prior indiget, quâ erigatur.

In hæc Audifacis verba loqui statim cœpi, méque & imbecillitatem meam profiteri: non memor interim juniperini fruticis, quem adhuc dextera gratis retinebam. Igitur Audifax in spinas illius salutatricem manum impegit, & erinaceum esse ratus; Superi (inquit exclamans) superæq;! servate me. Simul inter voces

atque gemitus fugere instituit, hospitibus in statione manentibus. & hoc iccircò; quia mures erinaceósque perinde, ac viperas, oderat.

Quem ego per opacam noctem, quà fas, insecutus, ab extremâ denique vestis laciniâ reprehendi, &; O mi, inquam, Audifax; ignosce utriusque nostrum errori; tuo, quòd animal nequam sine causâ fugis; meo, quòd juniperi aculeatum surculum obliviosus attuli. Verùm, jam ecce, cum spinis omnibus abjeci; nec est, quare porrò nos exsecreris, nullô penitùs echinô horridos.

Simul, tardè credenti, narrare statim incipio famis meæ Iliadem, & omnem deficientis in via vitæ historiam percurrere: donec persuasus, & instaurato per famulum lumini credulus, vidit

vidit pariter & juniperum humi afflictam, & manus omnium noſtrum innoxias, nec hoſtile quidqvam portantes.

Tunc enimverò in noſtros etiam amplexus, & oſcula irruit; prehenſosque manu, in ſecundæ contignationis triclinium perduxit. Nec dilata cœna eſt, Foconii beneficiô; qui, veteris recordatus (credo) notitiæ, cùm me conſalutâſſet; in culinam, ſua tunc regna, ingreſſus, velociùs pæne coxit, quàm alius devoraſſet. Cœnâ refectos, & rerum Tiberienſium narratione excuſſos, Audifax in cubilia ſingulos ſua diſtinctaque deduxit, in quibus, poſt Numinis adorationem, recognitis breviter diei geſtis, placidè acquievimus.

12. Poſtridie, multo jam Sole, tamen adhuc dormientes

oppreſſurum ſe ſperabat Audifax. Ad meum igitur cubiledigitorum allisis internodiis; poſtquam me cum ravi ſubmisſiúsque reſponſantem audivit; O, inquit, ô Ilibeſſe, noli terreri; Quòd enim largus jam dies eſt, ſcire debes, Solem hodie præproperè expergefactum. Sunt enim hodie, quod ſcis, Calendæ Majæ: quas ego tibi, cum lucis primitiis, gratulor.

Egi gratias; laxatisque foribus intromiſi. quem ille, poſtquam abſolutè veſtitum, & jam debito Precum officio imminentem, conſpexit; Narraturus, ait, tibi fui: ac ſingillatim de Calendis Majis. Eas enim tum gentes aliæ, tum maximè vetus Gallia ſollemnes habuit, & reges illius, cùm anno toto deſides, intrà conopea lecticariáque tabernacula, cum mulier-

lierculis, delitescerent, nulli clientium, ac ne Soli quidem ipsi, aspectabiles: hôc tamen die, ritibus anniversariis, in tribunal regníque oculos veniebant. Quæ segnities, cæteris quoque caussis grave pondus adjecit; quò maturaret *Ecclesia*, Zacharia Pontifice (sicut reor) interprete, in Pipinos & Carolorum familiam, Chilpericorum sceptrum transferre.

Hæc, inquit, & horum similia tibi, Ilibesse, etiamnum suspicione mea dormitanti, insusurrare paratus veneram; donec sensim perterebratæ, immò permulsæ his narratiunculis aures, vigiliam diémque admitterent. Sed tu, quod video, Demosthenis etiam fabros antevenisti. Proinde moram apud te non facio; sed ad Versium & Polaltum transgredior.

Post horam, si res feret, sacrificare vobis, tam utique festa luce, concessum erit. ad id in parato sunt omnia.

Gavisus sum non mediocriter de hac Audifacis humanitate, tot inter curas se nobis explicante. mox igitur ad digredientem conversus; Ac maximè quidem, ajo, pro te sacrificans faciam; ut, cujus sollicita liberalitas etiam holocaustum mereatur. Certè non ædes tantùm & saxum, sed aram quoque præbes.

13. Atque ille quidem ad cæteros abiit: ego autem, Instituti more, per divinorum commentationẽ, ad sacrificandum præparabar: donec constitutum tempus & minister affuêre. Peractis ex ritu cunctis, extra ædem arcemque deducti, in montis supercilio stabamus:

&,

&, Audifacis præeunte digito, omnem loci ſitum circumquaque diſcebamus.

Erat, ab arcis præaltæ radicibus, altiſſimus inſuper in ſubjecta loca deſpectus; &, propter montis præcipitem abruptumque decurſum, formidabilis: ut Alpis cujusdam veriùs, quàm rupis, faciem præſeferret.

Ad montis pedem municipium jacebat, frequenti ſatìs domiciliô; ab occaſu in orientem Solem extenſum.

Medium ſecabat, à Septentrionibus defluens, amnis Imbricius, riparum tortuoſo flexu, alvei latitudine mediocri; planitiem, quantamcunq; perluebat, allapſu exhilarans; ac, præter Icariæ reliquæ genium, uberrimo gramine veſtiens. Idem ad municipii caput, in bivium diviſus, Inſulam efficit,

in

in linguæ propemodum humanæ figuram: cujus marginem undequaque procera populus, ex ordine confitis ſtirpibus, coronat ſimul & umbrat. Aquarum Imbricii color in propinquo ferrugineus, eminus & ex alto conſiderantibus, atramenti ſpeciem exhibebat.

Tranſamnana læta maximè vernánsque planities; quantùm oculorum acies viget, in longitudinem. cæterùm latitudo montibus coërcetur; qui tractu propemodum infinito Marcomanniæ de finibus, ad occiduam plagam extenduntur. Superiora fluvii, majeſtate regionis eminent: unde passim, inter viridia cæruláque diſtantium ſylvarum, arces, oppida, caſtelláque, & urbes relucent; ſudô præſertim & innubi cœlo.

14. Secundùm hæc in hortos & viridarium; denique etiam ad ovilia ibamus: ubi balantes, matrum deſideriô, decem agnellos, non tantùm numeravi; ſed, innocentis Chriſti recordatione, etiam baſiavi. Quin & herbarum teneriorum, quantum evellere de propinquo potui, manipulum porrexi; donec reductas à paſcuis (jam enim meridies ingruebat) matres conſpexi. Tunc enim in eas agnorum translatâ curâ, ad prandium conceſſimus, per Audifacem acciti.

15. In eo, cùm gratiſſima nobis accideret hoſpitis animoſa liberalitas; unum erat, quod me nauſearum cæteroqui facilem offenderet. Canis enim, Britannico ſimilis, cùm inter miniſtros adſtaret; ad tertium quemque bolum meum,

ad

ad latus accedebat : & ſpumantes in gremium meum rictus inſinuans, ſemilatrante queſtu cibi commercium me poſcebat. Videbatur immurmurare mihi illud impudens ; *PROPTER COMMVNIA STVDIA!* &; *AMICI SVMVS, EX VNO SALIS MODIO.*

Itaque rariſſimè negabam, At ille Gratiarum pullus, non inſtrenuè gratiam reponebat. Sive enim darem, ſive diſſimularem ; ſaliva uberi ſinum meum & veſtes implebat. donec Audifax advertit : qui ad me converſus, non ſine gratioſo riſu ; Tandem, inquit, etiam potum da, Ilibeſſe ; ſi abſolvere Canem meditaris. nam prudens conviva, ſiquid impudenter vorat, verecundè ſaltem diluit.

Non auſus ſum admonenti repugnare. Quamvis itaque laqueum

queum belluæ vel crurifragium non invidissem; tamen vitrum ei porrexi, plenum & vino Noricô splendidum. Quo statim Canis animadverso, rejecit in transversa caput, non sine murmure. deinde, cùm ego perseverarem propiùs ori obtrudere; latratu clamosiùs edito fugere per triclinium, tanquam fuste carnificéque imminente, cœpit.

Ridentibus omnibus, ego satis habui, redemptâ tandem molestiâ, mecum tacitè demirari. quanquam enim non multò post, iterum iterumque in convivium hirsutus ille Pamphagus, rediret; &, veluti bona jam fide prioris repulsæ oblitus, analecta me posceret: semper tamen, objectô monstratóq; poculô, Cerberum depuli: sic, ut inter arma vitrea mihi

mihi tandem Victor Hercules, adversùs canes leonibus æquales, viderer.

16. Interrogare tandem auſus ſum eum, qui infrà me accubuerat; Ecquid in vitro Caninæ peſtis nataret? Atque ille; Nudiustertius, inquit, Foconium coquum importunitate non diſſimili frequentabat, ollarum tunc maximè curis intentum, ad ultimum, cùm is negare cibum perſeveraret, olentem ipſius laciniam invaſit; ac lardo adipeque plusquam triſæculari perunctam, velut pinguedine fluidum corium, trahere morſu auſus, homini bilem movit.

Scis, In ſuo quemque cœlo Jovem eſſe; In aula ſolióque ſuo Regem. hoc & coquus de ſe dictum credidit; &, Audifacis abſentiam vindictæ ſuæ ra-

tus

tus opportunitatem, in ringentis feræ fauces vitri craſſioris vaſculum, calidiſſimâ ex tempore undâ impletum, exoneravit.

Ab hac hora canis vas omne, liquidúmque & humens, pro calido nimbo & hoſte, immò pro Exorciſmis & Diris, habet; ſi quidem alienâ propinentur à liberalitate. nam ipſe Lacte quotidie, notis in ſtabulis, ter paſcitur, ſponte lingere aſſvefactus: cujus ſub dulcedine nondum coquum ullum aut thermas tam inſuaves guſtavit.

17. Audiebat narrantem Verſius. itaque ridere, leviter intortis labellis, oſtensâque dentium albedine, videbatur; propter vindictam Foconii tam ſalutarem. Intrà ſtrophium tamen ſe preſſit; ne ingeſta modò potio, per nares, immodera-

to

to gelasinô, reflueret: id quod in Convivis non semel aliàs notatum, æternâ sibi lege caverat. Quid enim illis effusè ridentium buccinis ineptius? quid immoderatâ saliva fluentium stillicidiis incivilius? unam eandemque in fœditatem solidis liquidisque concurrentibus: & infamibus, in quadram usque, stiriis dependentibus?

18. Fuit ad finem illatum ferculum, diei illius proprium; quo in medium locato, Audifax; Ignoscere, inquit, hospites, debetis, non mihi, qui maturè providi; sed villicæ, quæ coagulatione tardior, inter tragemata denique submittit cibum, quem esse promulsidem decuit. Spero tamen, saporis recenti bonitate, moram compensatum iri. Si ergò placet; cochlearibus, tanquam

quam tragulis, hunc lacum expiſcemur.

Placuit convivarum plerisque civilis invitatio, excuſationis tam urbanæ procemio præcondita. Et certè religio erat, Calendarum Maji veterem ritum, in iſtius ferçuli novitate, præteriri.

Erat enim in paropſide fictili (quam à vaſta capacitate dicere Mare vel Oceanum posſes) *LAC* craſſum, laboriosa tudicula diu multumque in coagula præparatum; ſubacidæ fugitivæque, ſed tamen adhuc pinguis ſapidæque dulcedinis. Injecerat fundo capaciſſimo ſolers villica butyrum ſuccidum, modóque coactum, & floris lactei plenum, in teſſellas minutiores præconciſum. Harum aliquot, cùm, primo ſtatim

tim cochlearis jactu, Audifax educeret, ſciſſuram laudavit, & ; Malo, inquit, piſciculos, quàm Cete: & fruſtilla potiùs, quàm fruſta probo. nam alibi, hoſpites (& inter Alpes maximè) butyrum injiciunt, cum pondere atque ad decempedas dimenſum, putes, te moles in æquora demerſas educere. Quantò faciliùs in minutal & ſegmenta teneriora redacta materies, intrà ſe lactis ſtillas combibit, gratiſſimo palati lenociniô? Proinde, ſi Maji Calendas amatis & initiatis; in viam hanc lacteam (quæ ruricolis pro Cœlo eſt) ſtrenui incumbite; ac ſi poteſtis, exſiccate.

Aggreſſi ſunt laborem plerique: ſed exſiccandæ patinæ tam vaſtę nulla ſpes, quanquam expeditis in opus hauſtris & co-

cochlearium immanibus antliis. In fundo potissimùm desperabant, infinitô gurgite fatigati.

19. Jámque missionem etiam Audifax dare videbatur; cùm inter accumbentes jocosior Agricolaus; Adhuc semel! exclamat. Quid, tentâsse, nocet? Non semper in Prytaneo epulæ. Cras aliud cœlum, alia æquora: hodie, dum venti gratificantur, navigemus! Quæ cùm dixisset, stanneô invectus cochleari, (quod amplum, in vasis medio natans, villica miserat ad pigri lactis agitationem) tractu primo Mugilem piscem capitosissimum eduxit, viventem etiamnum; &, motu caudæ multùm inquieto, faciẽ oráque viri conspergentem.

Atque ille quidem externatus, cum pallore cochlear &

prædam abjecit. Convivæ autem, risu propè dissolutis ilibus sciscitabantur, de fraudis auctore. Sed id nemo fatebatur, quod nemini capitale fuisset, utique post tam festivum insidiarum eventum.

Jam enim Agricolaus, seditione lacteâ motîs intestinis convasaverat: ac mensâ digressus, in conclavi remotiore, nescio quid, cum Jovis hospitalis bonâ veniâ, exscreabat. Quem nos, illicò dictîs Gratiis, è triclinio secuti invenimus, tantùm non sex mensium mensam nauseantem: & cum mugilis veneno, (sicut appellabat) infectum ferculum, omnéque Ciborum nomen damnantem. Non solatia, non arbitros saltem admittebat: sed ejectîs omnibus, ipse thalamô clausus, totô stomachô pelvim implebat.

bat. Vix serò denique rediit; nauseâ pariter & mugile se levatum confessus. Ad extremum etiam Foconio, qui se totius fraudis conscium & auctorem fatebatur, ignovit; jus piperatum priùs ab illius culina stipulatus. Quo ad restituendum ventriculum celeriter coctô illatóque, resipuit pariter Agricolaus, ac revaluit: gratulantibus omnibus, quòd, tam præsentariâ medicinâ, venenum ad Divitamniam pelli soleret.

20. Secuta est epularum finem meridiatio modesta; circúmque Divitamniæ fossas & hortum lentior ambulatio: donec imminens jam vespera stantas ad preces, atque ab his seriùs ad cœnam vocaret, & somnum.

Sic exactus hic dies, alios ex ordine non paucos habuit, ad

eandem vivendi cærimoniam compositos. Nec Audifacis nobis liberalitas, sed nos Genio nostro deeramus, tristia semper, & *ALARICVM*, meditantes.

21. Has contractæ mentis rugas plurimùm asperavit, etiam peregrina, quæ mox intervénit barbaries, pæne justis posteà tragœdiis functa: nisi, quòd catastrophen oculi mei non exspectârint.

Ecce! pluvium primò cœlum, & via lutulenta, excursiones (potissimum solitudinis levamen) nobis intervertebant. Ergò stantes ante ora sylvas, & camporum Tempe, ripartúmque & amnis gratiam, non licebat cominus libare. Tantummodo jejunô, pérque nimborum nebulas corrupto, aspectu pascebamur. Inter hæc tam lurida

ida ſpectacula, quid facerem aliud; niſi, cùm Rerum non poſſem, Animalium ut naturas ſpecularer? ſine libris eram: numquid & ſine ſenſu quoque, vel experimentis, oportuit? In quoddam igitur arcis impluvium ibam quotidie, ſeptentrionibus obverſum.

22. Illic ſub malè materiato tabernaculo Vulpes habitabat; captivitate jam triennii (quod memorabant,) utcunque manſuefacta. Quanquam, quid eſt aliud omnis vulpina manſuetudo, quàm doctior hypocriſis? Ego tamen huic hypocritæ favebam; &, quodcunq; nactus eſſem, ſive nucleô, ſive pulpâ carnéque veſcum; id ante ora famelicæ, de ſummæ contignationis feneſtra projectabam. Atque illa quidem, ad primos quoſque venientis intenta ſtrepitus,

gannitu ſuo, furtivóque oculorum nictu, quid vellet, prodebat; identidem è latibulo, erubeſcenti ſimilis, lucem pariter ambiens atque fugitans. cæterùm, quodcunque in alimentum objeciſſem, ſollicitudine plusquam vulturinâ obſervabat. Prædam verò tum demum, cùm receſſum abitumque reductâ feneſtellâ ſimularem, diripere ſolita, conſumebat.

Jamque nuces, & dactyli, cænarumque reliquiæ, interciderant: cùm ego, aliorum inops omnium, obſipare Saccharum medicatum cæpi; quod in capſâ ſcrutariâ temerè repertum Foconius dederat. At illa ſubdola, non indelectata ſale Braſilicô; citiùs id, quàm pyrum, devorabat, ſurſum identidem reſpectans; &, ſive gratias relatura pro munere, ſive amplius men-

mendicatura, diu liberalitatem pretiosam adorabat.

23. Cum, ecce, de repentè necopinatus æris Campani concussus intonat: non ille creber, & statô mallei allapsu sonorus; sed interruptus, illegitimusque & tristis, qualisque in subitis motuum civilium turbinibus auditur.

Superi, superæq;! exclamo ego, ecquod mediis in imbribus repens incendium? (nam Incendiaria videbatur nola resonare) relictaq; vulpe, in turrim Arcis per compendium evolo.

Ac per domum quidem ipsam, jam pridem discurrentium tumultum, & voces audio confusas, Arma, Arma flagitantium. Simulac autem in turris fastigium evasi; jam illic collectos Versium atq; Pol-

altum cum Foconio video, invadóq; & ; Quid novœ, inquam turbæ?

Illi mihi, quà Tiberiâ iter est, militum globum confertum monstrant, jam Divitamniæ finibus, infesto equitatu signisque, imminentem. Quos ut vidi; Enimverò, exclamo, non est deserendus amicus, etiam inter pericula sua pretiosus. Videamus, socii, videamus potiùs, Audiface nostro quid fiat?

Dum persuadeo, jámque descendimus; in gradibus imis nobis Audifax ipse præstò est, & ; Nolite, inquit, plus justô terreri! Discrimen est omniũ; sed Alea discriminis mea solius. Verbis tamen plus spero, quàm armis, confectum iri; si modò quieti vos, intrà vallum & arcem

cem ſtetis, hoſpites: ac rem per ſuſpiria cœlo commendetis.

Quærimus nos ex Audiface mali ſummam. At ille; Milites, inquit, ſunt, de caſtris Leontarchicis cum perfidia prófugi: Centuriæ (niſi rumor mendax eſt) tres. Atque hi quidem nullius noſtrûm ſanguinem expetunt: Spolia duntaxat & direptiones fortunarum, volunt ſui juris eſſe. Quod ego cùm negem; tectis flammam, & agris vaſtitatem interminantur.

Secundùm hæc curſu concito præceps in atrium devolat: domeſticos, &, ſiquid turbæ militaris in præſidio erat (ſanè modicô) raptim contrahit: armatorum partem ſecum ad portas jubet exteriores occurrere: partem aliam ablegat ad Arcis interiora defendenda.

24. Hic ego, cum Verſio,

Polaltóque, de clathris proſpectans, varios obſervo feſtinantium curſus ac recurſus: quódque tumultibus ſubitis nativum eſt, alium ex alio clamorem audimus; cùm inter hæc æris Campani confuſum celeuſma nihil ſe remitteret. Erat porrò concurſantium ſpectaculum perquam multiplex atque varium. nam hunc quidem gladius, illum ænea fiſtula, thorax ferreus alium, aut in capite galea; quosdam in cerebro ratio, vel in pectore mens & animus defecerant. Alium quempiam, jam dudum, non ſine furore ac ravi Arma acinacesque poſcentem; vidi repentè vetuſto ebore pallidiorem, cùm darentur; tandemque etiam non diſſimulanter flentem, cùm iis indueretur.

Certè lacrymans ex tribuno rogabat ; Satin' armatus ei videretur, atque tutus ? & hoc cum gemitu, crebrîs singultibus interruptô. Hunc tribunus jurè irrisum ; quoniam non miles sacramentô rogatus, sed arcis accola stipendiarius erat, in malam rem festinare jussit.

25. Sed jam interim Audifax cum paucis, in medium prædatorum agmen eruperat : & sola caussæ munitus bonitate, nullis armis suis, nullâ metûs significatione, verbis paucis, at potentibus, sic turmarum ductorem perterrefecit ; ut arma minasque omnes intrà vaginam reconderet : Pontem tantùm, & amnis Imbricii transitum, inviolata Divitamnia, stipularetur.

In has conditiones ictô acceptoque fœdere, Imbricium

fugitivus equitatus; Audifax autem in arcem, transiit; quò etiam armatos suos, ad prima valla occursantes, reduxit; jussos in diem posterum expergisci viriliùs: quippe, qui muliebriter timidi, Præfectum loco, vix septem stipatum comitibus, adversùm tres prædatorum turmas emisissent.

26. Ità reducto cum pacificâ victoriâ Audifaci, domestici simul & exteri gratulabantur. Sed ego Polaltusq;, turris summam in speculam dudum regressi, haud ità procul flammam ac fumantes villas conspicimus, nondum etiam horæ interposito dimidiô, ex quo Divitamniâ desertores excesserant.

Diu misericordes in ignota calamitate lacrymas consumebam. & adhuc super prandium (ad

(ad quod nos meredies coëgerat) incerta divinatio per accumbentium ora vagabatur.

Adhuc ſuſpicionibus inter nos & conjecturis caſum ventilabamus; cùm repentè Lupus, jam non in Fabula, ſed Hiſtoriâ, præſtò eſt. nuntiatur enim; Vallamniam ſtadiis quindecim à Divitamniâ disjunctam Arcem, partim flammâ, partim direptionibus evaſtatam, lamentari. Auctores cladis recenſebantur illi ipſi, qui Divitamnienſes ſollicitaverant, prædones. hi nempe, deſperatis noſtris, alienas ex Imbricii tranſitu facultates quærebant. Vallamniã itaque profecti; cùm deſtitutam præſidiô cognoviſſent; fide virorum, ſua caſtra deſerentiũ, poſtulare tenuem annonam inſtituerunt. Eâ primùm in ſolidum negatâ, poſteà verò par-

 ciùs

cius expedita; quoniam vinum omnes cellæ abnuerant, fontanam tandem & aquationem popoſcerunt. Admiſſi vix denique, receptique atriò interiori tres(poſt armatas utique preces)ut primùm in arbitrio portam habuerunt ; commilitonum univerſum agmen intromiſère. Sic direptioni facta via; & ad talentorum duodecim ſummam, momentô pœne unô exportatum.

27. At his quidem facinore deproperato, fuga profuit; paratis jam, ad primum calamitatis nuncium, è Divitamnia vindicibus: nos autem, meridie vix transacto, obſecravit Audifax; ut transgreſſi Vallamniam, certiora(quantùm ſalvis capitibus liceret) cognoſceremus.

Illuc igitur, itinere non tam pro-

prolixo, quàm pluvio, profecti; in Ædem primò sacram transimus. ubi Gigantis vastissimi Scapulam vidi, obviô de pariete suspensam: nec mentiar, si Versii nostri tres proceritates in ea fuisse dicam. Et idipsum Versius, homo non brevissimus, libenter modesteque fatebatur.

28. Exemptis è templi sacrario lipsanis atque Calice (ne prædæ fierent religionum vel ignaris, vel contemptoribus) in arcem Vallamniæ transgredimur, superi optimi! quàm eversam? quàm nudatam? quàm bonis omnibus exspoliatam? Ad summam! nihil illic, nisi diffracta conclavia, divisas bipennibus fores, dissectas cum feris cistas, sparsas inutilium vestimentorum quisquilias, & laciniarum centum segmenta,

per

per nequitiam diſſipata, repé-rimus.

29. Sedebat ſuper humillimum ſcabellum, paullò antè dives & nobilis, nunc autem ſuámet exul in domo materfamilias; ex antiquiſſimâ Rhodiorum gente prognata. formę florem lachrymarũm ſquallor, eloquentiam creber egérque anhelitus, humanitatis ſenſum inſperata & extemporalis miſeria, extinxerant. Aſſidebant ei nutrix & famulæ. de collo (jam torquibus nudatò) filiola ſaltem pendebat bimula; dexteramque pro armillis ereptis, vixdum infantiam egreſſus filius, ſimplici digitorum implicatione aſtrinxerat.

Matrona ſalutantium denique vocibus excitata; O mei, inquit, non hoſpites, ſed tantùm advenæ! nam in domo omniũ ege-

egenâ, quid exſpectetis? Hunc ipſum, quem videtis filiolum; hanc maternâ de cervice ſuſpenſam puellulam, poſteritatem & ſpem ſanguinis, infantiæ bullis perfidi graſſatores exuerunt. Vix vitam, vix animulas, nondum maturas, in diei ſequentis lucrum retinuêre.

Sed minora ſunt hæc: non queror, (præſertim ſalva, quantumvis fortunîs dejecta) non opes, non aurum, non ſupellectilem, non annulos (fœminarum gloriam) deploro. Satìs enim eſt magnifica, quæ ſatìs eſt pudica: multúmque poſſidet, quæ verecundiam non conſumpſit. Quanquam injuriam corporis vix effugi; cùm intrà parietinas veteres concluſa, tantùm à pudoris contumeliâ, quantùm à ſcrutantium nequitia ſolertiaque abfui. Sed abfui

ta-

tamen, effugi, evasi. Tori fides mecum incolumis assidet: qua sola pereunte, jam funditus occidissem. Et hôc unico nomine marito meo gratulor; cui absenti cætera, præter me, pleraque planè perierunt. Sed ego, (quod jam dixi) damnorum nihil accuso; ad tribunalem neminem voco; repetundarum non postulo. Unicô solô angor, sacrorum detrimento.

Nam, ecce, Pater meus, Eques nobilis, ex Syria, Amurathe imperante, quidquid in piis Lipsanis magnum est & venerandum, secum extulit: atque ex iis nubenti filiæ parapherna constituit, auro faberrimè inclusa, gemmisq; decorata. Ea omnia, Terræ Sacræ paternæq; liberalitatis monimenta, unius momenti præda, unius violentiæ militaris turbo difflavit

flavit & abstulir. Quorum fures ego, tametsi fœmina, (& hôc ipso minùs irarum potens) tamen ne Prædones quidem nominarem; si, pretio metallaque sacrilegè retentô, mihi Sacros pulveres, cœlestium contemptoribus nihil profuturos, restituerent. Id unum opto. Utcunq; tamen est: si questibus nihil proficio; ecce, etiam in hoc Superis acquiesco. Persuadebo mihi, ab hominibus humanas opes, à cœlo divinas esse repetitas. Hæc dixit; &, in gremium depositô vultu, conticuit.

Sub quæ mirati nos sumus matronæ virilem magnitudinem; mox in securiora jussam loca transgredi, quippe solatiis paulatim suismet respirantem, dimisimus.

30. Divitamniam ad vesperum revertimur. Hôc in itinere,

nere, ad Imbricii ripas, *NEACHILLEM* ducem, ex Lycii teli vulnere, pridie Calendarum Maji expirâsse, discimus.

Igitur in gemitum primò, mox in lacrymas effusi; luctibus alternis indulgere cœpimus. nec tam extincto, quàm Reipublicæ toti, parentabamus, quam, à tanti propugnatoris funere, verum erat, animam agere. Atq; ego tunc quidem, (velut recentiore vulnere) stupidius, & cum silentio, dolebam.

31. At eâ, quæ secuta est, nocte, cùm, purgatô cœlô, siderum nitentem gloriam aspicerem: solus, è reducto tecti culmine, silentii luctantis obicem fregi; & in hæc (quantum memini) verba contra Fortunam dolore laxatô, prorupi;

Ergò (exclamabam) ergò

non ſola felicitas indulgentis Fortunæ favor eſt? etiam Calamitas, ut video, illius beneficium eſt? cujus uſuram, ſicut fugienti concedit, ſic optanti negare poteſt: ac, prò ſcelus! etiam ipſis miſeriis pretium conſtituit & invidiam. Quoties enim (fidem appello tuam, ô cæca, & ideo nequaquam Dea!) quoties contendi; ne vel ego *NEACHILLI*, vel ille Gloriæ ultimæ ſuperſtes eſſet? Nunc ille vixit, ego vivo.

Ac tametſi ſatis ille quidem lucidus, etiam in Occidente ſui Spiritûs & vitæ promicuit; interim tamen (quod nefas eſt) occubuit; ac, ſi mundi tenebris credimus, extinctus eſt, adhuc Veſpertilionibus impunitis, & cum ſtridore volantibus. Quoties ego, ah, quoties illi cogitatione præſens, & animò comes, in

in castris, inter prælia, inter mille discrimina, propè propior ipsâ loricâ *NEACHILLI* adhæsi? cùm dextrâ lævaque, & prorsum, ac retrorsum tela ruerent? cùm sauciatorum largô sanguine, suoque vulnere respergeretur? cùm ille me præsenti parmâ, ego illum votis absentibus tegerem? cùm mille jacula, tanquam grandine congesta, passim ingruerent, semper intrà perniciem, nunquam ad fatalem usque necessitatem cadentia? Soli jaculo Lycio, Neachillem parem non esse, Casus grandis fuit, & cœli arbitriô indeclinatus. Quem utinam funeris consortiô geminassem; nec, ignava per tantum intervallum absentia, trans fugientis Fortunæ manibus permisissem.

Sed demens ego, quare sive For-

Fortunam incuſo, ſive Fatum? Culpam & Peccatum, atque etiam Scelus in crimen vocemus; neque privatum duntaxat & ſingulorum; ſed omnium ſimul publicum. Si verum audire poſſumus, verum dicam: Non erat ampliùs *NEACHILLE* dignus hic Orbis: quem proinde, velut abſolutô indulgentiæ pensô, Sidera tanquam ſuũ munus repetierunt. Itaque poſt hunc jam diem, tædet lucem, tædet humana, viventibus oculis intueri. Afflictam humi Superbiam noſtram, agnoſcamus aliquando, &, vel ſerò ſapiente pede, proteramus. Eviluimus: & unius morte, ſi Dii fueramus, nunc verè Mortales ſumus: atque utinam non etiam mortui & conclamati:

32. *TERRA quid eſt, niſi fæx? niſi*
magnus Carcer, & amplæ

Fa-

Fabrica sentinæ? spissataq́ꝫ sorde vorago?
Tædet, in hanc oculos deflectere; tædet, acerbos
Inficere obtutus: atque hôc tibi nomine grates,
Nox, ago, quòd lucem rebus subtraxeris, unâ
Involvens umbrâ species, formamq́ꝫ, coloremq́ꝫ;
Et (quantùm nocturna licet per sidera) cæcô
Omnia confundens, indiscretoq́ꝫ theatrô.
Quantùm non video, tantùm mihi gratulor! Vsus
Ipse voluptatis dolor esset (siqua voluptas
Est solida, Aspicere, & nudô fulgore moveri)
Nec tamen hoc rerum est vitium, quod lividus odit
Fastiditq́ꝫ Oculus. pulcra est, & digna videri,

Sim-

Simpliciter ſplendens Natura, nec oblita fucis.
HANC tamen, in ſe formoſam, comitatus opacat
Tot ſcelerum, invidiáq; gravat, fit crimen herile,
Quod famulæ faciunt. Naturam infamat, & in jus
Ducit, obæratus Vitiorum ac ſordidus ordo,
Qui dominam ſtipat: pro queîs malè plectitur illa,
Cujus tota fuit, Culpas non pellere, culpa.
OMNIS ab aſcito macula eſt; cùm, nobilis in ſe,
Forma trahit nævos: primáque ab origine rectum
Quod fuit, ex vitio curvatur; & errat ab ipſis,
Quos capit excreſcens, annîs, Nil protulit in ſe
Diſtortum, aut pravum, tot rerum Dædalus auctor.

Laudo Elementorum genium, confusáque mixtô
Corpora; laudo Auras, Ignémque, & spumea fluctu
Aequora, & excoctô pretiosas littore conchas,
Gemmiferíque vadum Gangis, medicôque virentes
Gramine riparum, platanîs umbrantibus, oras.
Laudo decus nemorum, sylvásque, & læta recentî
Rura satô, ac primâ satos Zephyritide campos:
Et, siquid minus est, majúsque, quod ubere fundat
Delicias cornû: quidquid vel pisce natatur,
Vel pedibus teritur, vel remige finditur alâ,
Cuncta probo; placet ipse orbis, placet (arbiter Orbis
Alter) Homo parvus tam magni Villicus Arvi.

33. Dis-

33. *Diſplicet improbitas, & iniquîs præmia factîs*
Vel data vel pacta; ac Virtus, quaſi legibus, exul.
Quæ domus (oro) ſatìs tegitur bonitate? quod antrum
Sanctè inſpiratur? quæ Curia reſpicit Aequum
Tam vegetìs oculis, quàm nummos? cujus in aula
Aſſentator, idem eſt, quod, latro publicus? aut quæ
Non regit, aut regitur vitiîs Reſpublica, pulcri,
Nomine veſtitîs? Quanquam Capita ipſa, fatemur
Innocua, & ſoliô digniſſima. Sed, nihil obſtat
Exitio ſani Capitis reverentia; tetram
Cùm ſemel imbiberint membra emorientia tabem.
Tu quoque (parce piis cum libertate querelis!)

Tu Divûm ſtirps, Relligio, quæ ſidera monſtras
Eminus, & portam reſeras, atque atria pandis:
Parvô hodie numerô, cœli ad penetralia ducis;
Nam malè tractaris. Minima eſt propè Cura Sacrorum,
Prima profanorum. Te jam non ultima tantùm
Pellit barbaries: Etiam illi (ah!) myſtica calcant,
Quorum debueras in dextra, & vertice, ferri.
Cætera quis memoret, plebeja & trita, ſed umbris
Involvenda ſuis, tenebroſæ opprobria noctis?
Infinita ſeges Vitiorum, & ſtupra, vel ipſo
Fœda ſonô, caſtam cogunt transcurrere Muſam.
Sint intacta mihi! ſint irreprehenſa, ſuismet

Con-

Confoſſa à probris ! Satìs eſt, ſcelera eſſe, pudicis
E Satyris etiam, atque è liberiore querelâ,
Proſcripta. Ergò ori digitum opponamus ----
Interea emigrare libet, libet ire (relictô
Zodiacô & terrîs mediocri Sole recoctîs)
Vltrà Aequatorem Libycum, ſupráque ſepultas
Antarctô ignotâ gentes; ubi nulla ſuperſunt
Nomina ſideribus, quáque in ſe prona recumbit
Declivî Natura ſitu, dubiúmque relinquit,
Terra ſit an Pelagus? quà ſe infans explicat Auſter.
Illis ſanè abdar populis, alienáq; tutus
Tecta colam: Quoniam patrij pomœria juris

Non vires, non arma virûm, non ipse tuetur,
Tot formidatus palmîs victricibus Heros,
Ille triumphator populorum, ille unicus horror
Hosticus, & Domitor bellantis in astra Typhœi.
Ille quidem vellet, magnúmque in pectore fortî
Spirat opus: sed, nempe ruit, quodcunque columnîs
Nititur humanîs. Opus est hîc cœlite fulcrô,
Divináque manu: quæ, dum sua robora nobis
Aut negat aut differt, Succumbimus! & furit, intrà
Viscera regnorum, mors Baltica; serpit Erinnys
Cimbrica, cum cancro Thetidis glacialis: & urunt
Vltimum in exitium, Borealîs robora flammæ.

Quid

Quid? dubitem iratos Divos? irata Tonantis
Fulgura cum Furijs capiti impendére? Sit ullus
Vsque adeò in clades cæcus, vel in omina, vates;
Vt conjuratos, in pœnam & verbera nostra,
Cœlicolas omnes nondum ipsâ palpet in umbrâ?

34. *Si tenebris Lunam, si Luna sidera, (fixum*
Lege satellitium) si mundo, horísque diurnis,
Titanis radios & amœni lampada Solis,
Subtraheret scelere offensus dominator Olympi:
Si vivis animantem auram, si pabula mensis,
Si sua Corporibus fomenta: quis esse negaret
Projectum à Cœlo, consecratumq; ruinis

Omne Hominum genus? Excidium, (quod nemo futurum
Ambigeret, nemo effugeret) quis flere vetaret?
Nunc aliquid majus mortalibus abstulit Ira
Numinis: Ereptum est, miserandi funere fati,
Imperij heu! columen. Ruit (ah) ruit illa columna,
Cui superincubuit Respublica sanctior. Vno
In casu, jacet omne decus; jacet acre LIGATÆ
MILITIÆ *robur, fulménque, & gloria Martis;*
Dum Lycij occumbit, NE ACHILLES *vulnere teli.*
Et nondum in lacrymas, nondum in vicina fluenta
Liquimur, ad quorum cœperunt Funera ripas?
Aut certè, dubitemus adhuc (post fracta salutis

Car-

Carpenta) ire aliò, & Lacrymarum
excedere Valle?
SI Patria est, ubicunque bene est; moriamur! & illuc,
Quò nos astra vocant, properemus! ubi inclytus armis
Iosua, & in voto Iephtes, & in igne lagenæ
Terribilis Gedeon, cæcóque in funere Sampson
Clarus adhuc ultor, Machabæáque robora, fulgent.
His Ducibus Lux accedat NE ACHILLIS; & Ipse
(Siquà opùs est) pro Sole micet, Nobisque coruscus
Affluat, & lætus! contrà Hosti, sævus & asper,
Funereùm rutilet; fiatque, à morte, COMETES!

35. Consumptâ (immò verò resorptâ) Lamentatione, dormire cœpi: lassitudine mœsti-

tiáq; ſoporis altitudinem conciliantibus. Videbatur, ſecundùm quietem, aſtare mihi *Neachilles*, reverendâ canitie maturus, armîs aurô illuſtribus; & tibiam ſiniſtram, quà femori committitur, quaſi ſtellâ radiantem trahens. Hunc talem, tam in memoria hærentem, ſimulac aſpexi, multóq; notum commerciô conſalutavi; ille leniter renidenti vultu; Noveris, inquit, Ilibeſſe, me nunc in arce munitiori, procul periculîs, collocatum; non jam ut propugnatorem, ſed, ut Ovatorem, nec eſt, quare contabeſcas, noſtri deſideriô vel funere. Vulnus enim, quanquam altè adactum, uni mihi lethum; vobis autem, pro quibus cecidi, ſalutem fovet. Scio tamen, non priùs apud te verba mea fidem inventura; quàm, longè damno-

mnofiore plagâ proftratus *Alaricus*, hoftis meus, jaceat. Ille, ille mihi hodie nondum in pœnas maturus, poft *Ecclesiæ* publica Funebria, fuô parent abit exitiô. Dictorum pignus efto; cùm Cruris mei, glande plumbeâ contufi, particulam (meo munere) poffidere cœperis, & admirabundâ tractare manu. Neque plura elocutus, multô in lumine valedixit.

36. Die pofterô, adultâ jam luce, expergefactus; cùm mecum Somnia retractarem; difcufsô mœrore, vultum diffinxi: folitáque refumptâ alacritate, cæteris, poft tam violentam dispulfam rriftitiam, fociabar. Idem & Verfius, folitô priùs contractior, faciebat; explicitâ veterem in amœnitatem fronte. Quid enim proderat,

intabeſcere mœrori, fata non exoraturo? Vel, quare diutius indulgeremus fletibus, neminem è morte reducturis?

Fortè, divinis ex more operati, per impluvium, Polaltò comite, redibamus: ac Verſius, ſturnorum, tunc in propinquo ſedentium, auditâ garrulitate, per luſum & mimum ſibilabat. Vix cœperat; cum in ſuram illius, iracundô impetu, gallus irruit Numidicus; qui tum in atrii angulo pabulum quærebat. Ad quem inſultũ reflexus Verſius, nihilominus pergit: & ſturnorum, ut putabat, imitationem exercet. Verum Avis illa, jocorum immitis interpres, vehementius ob idipſum excanduit; &, cum folle plenô rugoſum guttur inflâſſet, ſic, ut omnem videretur ſtomachum in ſtrumam çollegiſſe: glocitare

re pænecum rugitu cœpit, peregrinâ prorſus & Africanâ inſaniâ. Neque primô ſatiata incurſu, in Verſij pedem iterum iterúmq; involat; donec tandem & tibialis laciniam,& pelliculæ partem de ſurâ illius, pertinacî morſu,abraſit.

Sub quæ Verſius dolore vulneris aliquantulùm efferatus, baculum (ſicut manu gerebat) exprompſit: ac,ne militiam videretur omnem, quam olim coluerat,perdidiſſe; ſtipitem è lege gladiatoriâ circumductum capiti volucris illiſit. Gallus ergò;tanquam acconitô devoratô, confeſtim incertos in gyros demens circumagi; mox etiam corruere viſus,ſollicito percuſſori timorem injecit; ne cædis deinde poſtularetur. Sed ille nefarius & Numidicæ nequitię ales, ſimulatione paullò pòſt

abjectâ, Versium jam digredientem, nihílque minùs exspectantem, etiam ultrò persequi aggressus, adhuc vindictam fulminabat. & furias erat, ut opinor, expleturus, nisi celerior alter, reductîs post se foribus, ex ingloriâ pugnâ Bellonã suã extricâsset. Nihilominus gallus in Polaltum (qui ridens ad hoc usque temporis arbiter adstiterat) iras effudit; Quiritiũ fidem, & subsidia sociorum inclamantem, propter conflictûs incertam aleam.

Spectârat interim omnia, per fenestræ diaphanam speculam, Audifax: &, quantùm ex oculorum madentium fluxu conjici potuit, haud sinè cachinno Cui Versius cùm, me præsente, Gallo-Numidicum exponere bellum inciperet: ille manu blandâ caput hominis utrim-

utrimque permulſit, & O; te nimis, inquit, indoctum inauſpicatúmque ſturnorum ſimiū! quos dum æmulari ſtudes, in Milviorum vocem inſcius incidiſti. Sciſcitatur Verſius, &; Quid igitur? inquit: aut in meo tandē ſibilô quid arguis? quare mihi tam importunis odiis Libycæ volucres iraſcūtur?

37. Ad quæ ſtrictim Audifax; Hujus, inquit, hoſtis tui conjux gallina, ex puerperîo præter ſolitum languebat, ante ſpatium ferè ſemeſtre. Sobolem ergò, recèns excluſam, in paſcua gallus ipſe deducere: teneros pullos in audaciam ipſe firmare: agmen ipſe regere cogeréque aggreſſus, proximum in hortum quotidie, cum infantia ſuâ, exſpatiabatur. Die quodam, neſcio cujus fraudéne an caſu? in ſarmenta, quæ ad

ad horti crepidinem temerè jacebant, incidit. eorum fortuitâ ruinâ tectus, dum intricatus hæreret; pullos ſuos per virgarum vimina tantùm intuebatur: Tueri namque nullâ vi, nullîs artibus poterat. Id odoratus prædator milvius, cum ſibilis primùm obvolare: tum alium ex alio pullum aggresſus, fruſtrà fremente ſub virgultorum latebris patre, prolem tantùm non omnem eſt auſus diripere. donec, tardè notata ſibilorum frequentia, milvii rapinis ego quoque interveni: &, ſuſpicionis (quam jam antè conceperam) veritate deprehensá, pipiones duos ſuperſtites. unà cum incarcerato virgultîs gallo, eripui. Hinc ergò Sibilorum illud odium immane: hinc memores avis iræ, in omni quantumvis amicô

cô ſtridore prædatorem, & in omni ferè gutture milviũ ſuſpicantis. Sed tu, inquit, Verſi, ne ſinè præmio periclitatus in duello ſis: pro donativo tibi totum hoſtem habe!

38. Nec aliter fecit, ac dixerat, Audifax: nam eodem adhuc die, menſis illatus gallus (quoniam tam lautam adventitiam etiam Audifacis frater, modò Tiberiâ veniens, meruerat) nobis, ceu pugnæ conſciis, riſum expreſſit. Erat enim, ex pręſcripto culinarum, caryophyllis interpunctus frequentibus, ac præter hoc chartâ cærulâ involutus, tam preſsè ad pellem adſutâ: ut pellis ipſa videretur. Igitur Alemanica jactantes proverbia, in Verſium, galli ſymmachũ, pleriq; ſcom̃a ſpiſſabant, plebejum ſanè, pridémq; vulgaribus dicteriis pro-

cul-

culcatum; Ex plagis illius & percutiẽtis baculô cærulescere percussum hostem. Sed, quem cibum plerique sannis & nasi suspendiis excutiebãt; illi, structoris operâ dissecto, ne dentium quidem tenus parcebant: donec totus absumeretur.

39, Jam interim, post dierum aliquot nubila madidámque tristitiam, cœli serenitas se reparaverat; & nativô rursus splendore Majus, immaculatóque jubare, radiabat, nec jam usqueadeo inamœnũ apparebat Divitamniæ exilium: cùm, ecce, subitò repetita latrunculorum excursio, denuò tranquillitatem turbavit. Non jam contenti verborum mollilitie, non Audifacis dulci Suadâ; res & Fortunas ab eo minaciter exigebant. erátq; metus, ne à minis ad arma, vel arcis ob-

obſidionem veniretur. Nos i-
gitur, priusquam deterior pro-
cella fluctuantes everteret ; ac
præter hæc, ut inutili ſarcinâ
Patroni periclitantis onerariã
levaremus : nos ipſos Divita-
mniâ , captô communi conſi-
liô, emovimus. Quod proinde
feliciter eveniret ! hoſpitali ca-
ſtellô tandẽ digredimur, Audi-
facis difficili veniâ atq; cõmea-
tu , incuſantis temporum ini-
quitatem: quòd invitos retine-
re non liceret ; Ite, inquit, ite
bonîs avibus ! ne, dum hoſpi-
tiô vos tego, ſimul exitio com-
muni nihil tale merentes in-
volvam.

Inter hæc amiciſſimæ que-
relæ ſuſpiria, cùm invicem &
nos beneficiũ pro merito ce-
lebrâſſemus, profeſſi , memo-
riam illius immortalem fore ;
per avia, minúsq; cõperta præ-
do-

donibus, itinera tendimus, adhuc matutinô tecti crepusculô, ne cõspiceremur. Placuit Versio meo, consiliis aliis omissîs; in Icariã, Septentrionibus viciniorem, festinare: id quod nec Alcoro quidem Riccio, comiti ducíque nostro, displicebat.

40. Erat iter per loca palustria, lentum & luridum; donec, evictis laboriosâ contentione sylvîs, ad camporum libertatem emissi sumus. Tum enim expeditioribus (acuente præsertim viam Alcori facundiâ) non jam iter, sed pæne voluptas fuit, tot prata vere plenô ridentia transcurrere. Ità nobis, propemodum incogitãtibus, ante vesperam urbs obtigit, quam volebamus.

41. *Cycnocomum* dicitur, ab olorum quondam frequentiâ: nam hodie quidem anseres soli su-

li superſunt: fugatîs incolarum quorundã injuriâ raucóq; cantu cycnis. Adhuc tamen alluitur Cayſtrô ſuô (quamvis amiſsîs oloribus) hoc eſt, Banide fluviô; flexibus ſuis Icariæ pleraque vel ſtringente, vel illabente. dixiſſes inſidarum tunc urbium exploratorem: ità paſſim eas adibat & fugiebat. Ad dexteram colles, & montanæ ſylvæ oppido imminent.

42. Diverſorium fuit non pro exſpectatione; quippe macilentô ſcabiosóq; piſce cœnatîs, quem forſitan Sellularii faſtidîſſent; ac juſculô præterea cæpîs (nequaquam Aſcaloniîs) infatuatô. Nec tamen piguiſſet menſæ (quid enim non pretioſum eſt fami?) ſi ferculorum inſipientiam ſaltem hoſpitis amicior vultus, aut ſermo ſalſior correxiſſet. Torvum enim neſcio

ſcio quid atq; caperatũ præ ſe ferebat. & illius omnis oratio, ſi quam tandẽ hoſpitum crebrior interrogatio emendicâſſet, in militaris licentiæ maledicta conſumebatur.

Non auſus eram tunc quærere de nomine, cõtentus mecum ipſe Momum appellare; quem poſtridie, voce convenientiſſimâ, didici Titionem dici, noſtram enim certè luculenter aduſſit inopiam, inexſpectatæ ſymbolæ exactione.

43. Quapropter aliorum potiùs omnium, quàm alimentorum, ſaturi: ſub diei poſteræ primam Auroram diſcedimus: ſinè jentaculo quidem, non tamen ſinè ſtomacho. Sed hunc ipſum diverſitori placavit matutina divinorum cõmentatio: quæ, cœleſtibus ſenſim inſerta, docuit; non inediam duntaxat, ſed

ſed quiddam etiam jejunius, ac ſcilicet Nebulas, ſinè bile devorare. Quippe grave ſolum, & ex Banidis amnis viciniâ vapidum, ad quattuor paſſuum millia fæcibus exhalatis, omnia circumquaque, veluti cinere fœtis nubibus, involverat. ac nec ad decempedam quidem oculorum ambulatio libera vigebat: donec ad Montem ventum eſt perquam editum: quē multus acidúsque ſudor, inter viatorum vulgus haud innocenter ſub Amari nomine traducit. Amaritiem enim accolæ nominant.

44. Jámque etiam hôc profligatò malô, poſt ſole domitas nebulas, aliquot ſylvas eviceramus & juga: cùm ego ſtans in colle quodam cæteris eminentiore, velut nubem eminus, columnæ ſimillimam, conſpicio.

Sci-

Sciſcitatus ego; Ecquod nobis, tanquam Eliæ quondam & Achabi regis cõgreſſu, diluvium ex illa nube pararetur? ex Verſio didici; nihil tale nobis imminere. Nã; Quod tu meteoron, inquit, aut nubilum credis, Ilibeſſe. ſcito, nihil aliud quàm Turrim eſſe, aquarum receptaculũ. Nymphéum porrò dicitur. ac mediocris quidem illa proceritatis; ſed, altioris loci beneficiô, ab Ammontio uſque, Icariæ metropolî, renidet, colorem verò, tectorii non candidiſſimi, Sol intendit, ab Oriente exadversùm irradians.

Gaviſi ſumus omnes, Ammontii qualicunque particulâ conſpectâ: quoniã is illius diei labor erat propoſitus, cupientibus, Ammonitô intratô, prolixiorum itinerum pauſam interponere.

Sed, humanarum rerum forte, quâ plerumque læta mortalibus acescunt, gaudiô destitui cœpimus; utique postquam largam emensi viam, nihilô propinquiorē deprehēdimus Nymphéi Turrim, fugere potiùs videbatur, & inhospitali præsagiô venientes aversari, usque adeò ex ampla modò fabricâ, nunc quidem in Turriculam, nunc etiam in nihili simulacrum subsidebat.

45. Nempe nondum nos adverterat Solis nitor, paullatim subtrahi cœptus; non etiam coëuntium agmina nubium: quæ sub meridiem, in vastâ deprehensos planitie, contra Versij vaticinium, cataclysmô non exspectatô miseros perfuderunt. Inter lutum denique frequentésq; lapsus, Ammontium mergîs aquosiores ingre-

dimur; cùm Riccius priùs sub casa, dum serò vitat imbrem, hospitalem villici Jovem, non sine dulcedine, cum Versio gustâsset. Gratìs enim oblatum lactis sinum, calentibus è pluviis collectâ siti, vacuârant.

46. Quærimus nos ex obvio cive, stabuli commoditatem. Is, humanitate nec opinâ, nos ad insulam deducit summœnianã; & in portam intentô digitô; Hîc, inquit, Essæi degunt, genus hominum cœlebs ac religiosum; & præter hoc à vobis, quod spero, non alienum. Hi, compertis viæ vestræ caussîs, & sanctæ quietis desideriô; utrasque vobis pandent fores. Non fefellit nos vaticiniô suô ductor. Nam ad Synandrónem (ità nominant habitationes suas) transgressîs, cùm vix semel tintinnabulum, pro por-

ta pendulum, concuſſiſſemus: Eſſæarchus de feneſtra ſuperiore oculos injecit: nihilq; cunctatus, intromiſit ipſe, non exſpectatô januæ præſide: mox excuſſiſſimô brachiorum amplexu, tanquam hoſpites, invaſit ac ſtrinxit: introductis deinde, menſam appoſuit, pro facultatum viribus liberalem.

47. Die alterô, cùm nos in ſpeculam, templo junctam, ſequi juſſiſſet; urbem in conſpectu totam propoſuit. Ædium cultus, & platearum munditiès, ac Vitruvianæ pæne diligentiæ baſilica, urbis gēma, oculos penitùs illaqueârant: utique, poſtquam etiam supremū ſpeculæ faſtigium, curioſo circuitu luſtrâſſemus, illic & turrim vidi illam, quæ ſub Nymphéi fugitivâ appellatione, pridianā mihi moleſtiam intenderat.

48. Adhuc in his eramus contemplandis; cùm ex aliâ quadam & urbis principe speculâ, repentè buccinarum cornuúmque mistus clangor insonuit. Ego, qui ad periculi cujuspiam indicium id pertinere suspicarer; non distuli, ex periboloin turris nostræ interiora festinare. Sed sollicitô, flammásque aut hostem suspicanti, ultrò Effæarchus adest, ac ponere trepidationem jubet. nec Alaricum imminere, nec incendia suscitari: Verùm ità comparatum esse priscis Icariæ ritibus; ut meridiem, & noctis medium, quin & utrumque crepusculum, speculatores incolis symphoniæ strepitu denuncient. Nec id Ammontinis solis receptum esse, quamvis his ipsis de artifice concentu major potiórque cura sit.

Om-

Omnibus Icariæ urbibus idem in hôc inſtitutum placuiſſe: nõ omnibus tamen eódem ſucceſſu. Nam quibusdam in locis videas (inquit) urbecularum egeſtate unum pro multis; & pro Miſeno tubicine, ſtridentem è bucerâ conchâ Tritonem, aut è ſtipula Damœtam gemere. Et ideò, quantùm quæque turris arte muſicâ numeróque, tantùm capite culminéque ſupra reliquas eminet: ac ſonorâ ſuperbiâ, cæterarum frugalem taciturnitatem exſibilat. Quapropter inter excubitores quoque nemo publica mercede conducitur, niſi pſaltes & cantor; ſic perſuaſis Icariæ priſcæ Regulis & dynaſtis; Dulciſſimam fore, ſub vigilis Muſicæ tutela, Pacem.

49. Placuit nobis Effæarchi ſuavis oratio: nec defuit veri-

tati suffragium, ipsum scilicet experimentum; auribus, maximè nocturnis & solitariis, peramabile. Non diffiteor: sæpe, sopitîs jam cæteris, ad fenestras constiti quietiores, ut, illabentem dulci melancholiæ, vigilum Symphoniam exciperem.

Sic triduô propemodum hospitatîs, mihi Versióque nunciatur; Amico veteri Theophoro, Sebastenorum Essæarcho, gratissimum facturos, si ad se, in tantâ viarum locorúmque viciniâ, diverteremus

Nunquã est arduum, persuadere spontaneis. nos ipsi mentem istam jam dudum tacitis cogitationibus indueramus.

50. Igitur ab invitantis ultima voce consurgimus; & sarcinîs collectîs, Añontiô eádem adhuc vesperâ excedimus. Nec in-

inopportunum videbatur cœlum; calore præsertim meridianô fractô, lenitérque spirante Euro.

51. Vix pomœriô digressîs, mundi facies invertitur. succedunt vento secundiori flatus occidui, Boreâ mixti: congregatíque conspiratione presteres, Solem nubibus aurámque flammîs inducunt. Mugitus undíque, & tonitrua, & fragor, micantiúmque fulgurum minæ, sæviunt. Impendebat aëris indubitata, sive ignibus exitura, sive undîs, ruina.

Ad hunc terrorem, refugientibus intrà mœnia colonis, & ipsi stare cœpimus; ac, viæ de progressu, in consilium venire. Mihi placebat, quoniam faciliùs procellam quàm pudorem devoraremus, non redire. Quem enim, à profectione tam

ſollemni, tot cæremoniis extremiſq; ſalutationibus adornata regreſſum fore? quem Eſſæorum, ex hôc leporino refugio, riſum naſciturum? Præſertim, cùm & urbis intrà viſcera deprehendere nos Cœlum poſſet, ſi ad ſupplicium aliquem noſtrûm quæreret, aut propter nos ſolos iraſceretur. Quòd ſi nimbum ſanè pluviáſque timeremus; ecce, non minùs nobis, quàm avibus, fornices à natura factos, imbrium propitia effugia, ſtare totîs agrîs arborum aſyla prædenſa. Neque diuturnum fore malum. Jovem citò indignatum, citò placari: nec ullas ferè tempeſtates celeriùs ſubſidere; quàm, quæ celerrimè ſuſcitarentur.

32. Hæc ego dicebam; verbis, quàm animi ſenſu, fortiora: perſuaſóque (contra votum me-

meum) Verſiô, refugiebamus, ad agreſtem quercum incitatô curſu. Ibi, ruentibus jam pridem impetu violentô nimbis, externati ſubſiſtimus: & uterq; quidem timoribus elingues; ſed pallidior ego, qui tamen, quantumcunq; aſſequi diſſimulatione licuit, corrigere colorem annitebar. Ad ultimum, nec iſtud quidem in poteſtate habui; utique, poſtquam nubes ruptæ caloribus, & latâ flammâ diſcurrentibus fulgetris, ante oculos oráque noſtra fulmen dejecère.

Atque furor ille quidem in quercum, à latebra noſtrâ propiùs ſemotam, ſævit; &, cùm avium concordem feciſſet fugã: à ſtirpis ſupremo cacumine cœptum ignis ſulcũ, tumultuosô cum ſtridore, duxit. Nos autem obnoxiam diſcrimini arborem

exosi; ad villam longiùs abjunctam, per obliqua jugerum festinavimus.

Vixdum tecto successeramus; cùm aëri pristina serenitas, nobis autem mens & via restituitur. Sinè dubio non fefellerat Versium timor meus, & pectoris inter tonitrua palpitatio. Igitur ut primùm colloquiorũ facundiam, quasi redivivi, concepimus; Rogo, inquit, Ilibesse! in tam vasti pectoris thorace, verè pavorẽ & metum claudebas? an ad me terrendum fingebas? Nam certè quotiescunque fulgurabat, buxus eras atque cera; non vir aut homo.

Erubui ego non mediocriter, & inflammatis verecundia labiis, postquam & strophiô frontem confricui; Nescis, inquam, In sylvis crassioribus frequentiores suspendi Formidines? nescis,

ſcis, corda latiora, vel phyſicis ex cauſſis, faciliùs contrahi: ac quovis ab eventu ſtringi?

Nunquam, inquit, æquè obſervavi, atq; modò: cùm tamen periclitantẽ ſæpiùs antehac viderim. O mi, inquam ego, mi Verſi: non hodie primùm cœpi. Timor iſte veteranus eſt apud me, pridémque per experimentum agitatus. Ecce, in alia pleraque intrepidus, fulgurante tamen & minante cœlô, ut plurimùm intremiſco: ex eo maximè tempore, quo Tiberiæ quondam ſum periclitatus. Crede mihi, Verſi: tantùm tunc ab exitio, quantùm nunc ab latere tuô, abfui, hoc eſt, minimô minùs. Illius, famoſi per orbem, Fulminis ambuſtus igne; quippeni reliquias, metúmque, & exanimes pallores, retineam? Adhuc nidorem ſer-

vo; vivétque mali, quantumvis extincti, pertinax intrà me recordatio.

Quid impedit, ait Versius; quò minùs ex ordine Calamitatem illam percenseas? homini præsertim amico, quódque permovere te debet, illius Tragœdiæ pleraque non assecuto? Præteritorum enim, etiam ex acerbo, dulcis est narratio.

Ego me facturum spopondi, cùm primùm commoda quies, & narrandi generosior alacritas adjuvissent. nam tum quidem animus distractior, & semitæ recenti pluviâ morosiores, orationis productioris tædium injecerant: placebátque, dispersis in varia sermonibus, interrogare plura, quàm respondere.

53. Adhuc vagam excitabant curiositatem, incognita, ut quęque occurrebant, loca; pulcherrimô

rimô ſe tractu, cùm primùm ferri ſecturas & montem ſuperavimus, ante oculos expandentia. Planities viridis, ac ſpatioſa, paſſim arces & oppida; alibi rivos, & interſecta piſcosis lacubus arva oſtentabat: ſpecioſum utique theatrum, & oculis, ex edito deſpicientibus, comprimis amabile.

54. Jàmq; procedente paſſu, unà cum notitia regionum, ad amnem perveneramus, pigris euntem lapſibus; &, oleaginô propemodum colore pinguedinéq; vada molientem. Riparum tamen gratioſus viror; & pulegij, ſecundùm margines, odora luxuries, magnum alveo nomen viſa polliceri, jámque rivum alicujus æſtimare cœperam; donec ex Verſio didici, viliſſima dignatione Gelu appellari, Miratus ego tam inſo-

lentem aquæ titulum (namque frigidam utique natura fecerat, etiam priusquam illam humanus sermo gelidis annumeraret) caussam interrogo.

Cui Versius; Non, inquit, habeo, quod afferam: neque sanè comminisci ausim, tametsi in figmenta extemporalia vigerem. Si tamen ingenio credis meo, quod obvia quæque metit, & falce nonnunquam obtusiore spicilegium exercet; divinare post alios velim. Scis igitur, appellari Gelu quædam juscula liquorésque, longò frigore concretos: quos in mensarum tamen delicias appetunt stomachi calidiores. Hæc autem unda, tam lentô crassóque embammate incedens: numquid à ferculis illis differt? nisi, quòd in ripis paròpsidem est sortita, parùm ex arte ductam, nimi-

nimiúmque fictilem. Sed de nominibus nemo, nisi verborum nundinator, litigat.

55. Hæc cùm diceret; amnis ponticulum, utcunque solerter compactum, transgredimur, ex quo Versius, digitũ intendens, ripæ quandam altitudinem designavit, &; Triennium est, inquit, ex quo contemptor ponticuli, Gorgonius affinis meus, secundùm rivum hunc, quibusdam comitantibus, iter habuit, Qui, dum alia ex aliis loquitur, & loquentes invicem attendit; deceptô per fabulosum marginem pede devolvitur. Puto autem, nôsse te familiariter viri proceritatem. abietem diceres aut cedrum virorum, præsertim inter masculos. &, ad me quod attinet, ex nullo hucusque Lexico alio, quàm ex corpore Gorgonij, interrogavi;

gavi; Quid apud Varronem ac veteres fuisset Longurio? Labitur igitur ille (ut narrem tibi) totóq; in oppositã ripam corporis impetu inclinante, caput in crepidinẽ, quam vides, ulteriorem trajicit; pedes autem in primo retenti vestigiô hærebant, moles corporis media amni, quàm latus erat, instrata transversùm incubuit. Ità pontium irrisor pons ipse factus est, junctô utrimq; aggere: didicitque, quantò sicciùs transeantur rivi, quàm transiliantur.

56. Loquentibus adhuc nobis, & Gorgonij casum traducentibus; præstò Villicus est, Essæorum cliens, ac vir, quantum apparebat, supra conditionem urbanus. nam salutatus, Gallicana pæne genuum flexione resalutabat; videbatúrque, quòd subsisteret, sermonis alter-

ternationem quærere. Indulsit ultrò prensanti, & aliquousq; comitanti, facundissimus Versius: donec varia garrientes fabula, ad ædificium, amni impositum, ipsa perduxit eloquentia.

Officina erat assularia: ac, sub hiante tecto subterlabentibus incumbens undis, immanis serra, vi rotarum agilium sursum deorsúmque impellebatur. Ex alia parte, promoti machinis, arborum ingentes trunci, cupidos serræ dentes pedetentim intrabant: ac paullatim serræ dentibus à capite ad radicem usque divisi, in asseres tabulásque minuebantur.

Quæ dum intentioribus oculis contemplamur, Villicus ad stupentes conversus; Si sciretis, inquit, quæ ante diem vix septimum hic acciderunt? Rogo

go ego colonum, & adigo, ut narret.

57. Tùm ille; Convenerant, inquit, sub noctis initium rustici juvenes. eorum ad cœtũ alacérrimus, Lycaspes nomine, seriùs semipotúsq; accesserat. Currit, ut fit, in circulum sermo hilarior: mox clamor, & joci Fescennini. Poscitur suffragiô Lycaspes, ut ludat, nec ille cunctatur. Eo die speciosæ salicis enódem surculum, tectum oblongúmque (nec enim aliter utilis futurus erat) amputárat. mox humore fontanô mitigatum corticem, tanquam corium ab osse carnéque, distrinxit, inviolatum, &, ut Majô mense, sequi facilem. sic demum in fistulæ redegit usum.

Scitis autem, arbitror; Verno tempore quæ sit arundinum salignarum gratia? quanta, cùm in-

inflantur, ſuavitas? nocturnîs maximè, ſilentibúſque horîs: cùm incredibilem mixturam hinc quidem triſticula ſolitudo, illinc autem hilaris admodulatio, ſuſcitant. Certè quidem (exclamat Verſius) voluptas aurium, plusquam Amphionia! cùm ad fidium pulſum Thebarum (ſi verum eſt) arces aſſurgerent!

Tunc ego Phœbeas auſim contemnere chordas,
Auſim Strymoniæ ſpernere plectra lyræ.
Currite, Apollineos ad cantus, paſcua regum!
Currite ad Orphéos, concita ſaxa, choros!
Non herclè invideo. Salicis cœleſtior oda eſt:
Illi rura trahunt; Ruris ac iſta Deos.

De-

Denique figmentum saltem hi & fabula nulla est:
Mentiri nescit rustica Simplicitas.

Offensus ego pentametro Versij tertiô; Ergò (exclamo) tam Thrasonicè Villicus noster hic dissimulabit, se RVRIS DEVM constitui? In quo, Versio silente, rusticus; Cértè, inquit, In nostro quidem Cœlô: in quo Aquarius dominatur, & Taurus, & Capricornus, atque Aries, & quæ non Ruris sidera atq; instrumenta? Sed, ad viam (quod ajunt) militarem, & nempe narrationis institutum revertor (ait colonus.) Noctem Lycaspis insomnem, & lætitia publica festivam, Dies posterus ater excepit. Nam, ecce vobis! sub meridiem, quibus horis sævissimè Soles urunt, cùm ser-

ſerræ, quam habetis in conſpectu, truncum quernũ faber accommodâſſet: Lycaſpes, ſecturæ inſpector futurus, aſſederat.

Obrepit inter hæc, nocturnis omiſſus horis ſopor; ac prævalet. Nec intempeſtivus languido videbatur aut inopportunus, ſi recumberet ſuper ipſam, quæ tunc ſecari cœperat, quercum. & aberat, velut ipſe ſibi credulus finxerat, omne periculum; ſi, ad ſtirpis poſtremum finem reclivis, ſeſe componeret. Scilicet tempore opus & horis fore, dum ad trunci terminum ſerra perveniret. tunc enim, ſtrepitu monitore, ſe ante diſcrimen facilè conſurrecturum; etiamſi vel Endymionis ſomnus torpentem alligâſſet. His inductus Lycaſpes argumentis, quæ ex tempore comminiſcitur omnis cupidi-

piditas; in extremam arborem, ſicut lata erat, reſupinatur, & dormit. Fuítque ſopor uſque adeò indomitus atque ſurdus; ut priùs ad eum dentata machina, quàm ipſe ad ſe, redierit. Ferrî ferox & inſuperabilis acies, paullatim diviſâ ſtirpe, admovetur; & antequam ſentirent aut ſuſpicarentur, qui dormientem initiò viderant, horrendô in cerebrum vulnere ingreditur.

Ac clamorem quidem ultimum, & taurinô validiorem, miſer ſuſtulit: ſed, priusquam ſubventum eſt, jam Lycaſpes, ex tot dentium morſibus inextricabilis, ad umbilicum uſque, unà cum trunco diſſectus, perierat.

Quæ cùm inter largos gemitus diceret Villicus; in rem præſentem oculos noſtros deductu-

ducturus, instrumentum lethiferum nobis monstrabat, etiam tum cruoris fœdi reliquiis delibutum

Ità Lycaspes, aliis quidem chorum, sibi verò Lessum & noctem ultimam, pridianô cantu meditatus videri potest.

58. Secundùm hæc, dies vesperásq;, Lycaspæis feliciores, inter nos precari, spatium viæ reliquum exigimus: ac Rosimontiô, castellô (quod narrabant) olim munitissimô, dextrâ tenus prætermissô; destinatam illius itineris metam attingimus, urbem Sebastenam.

Est ea situ leniter acclivi; spatiò, quo ad collis totam longitudinem extenditur, angustior; quàm specie atque cultu. Quà verò Solem occiduum, & Brigenormæ civitatis viciniam respicit; Arce prætenditur, ad vo-

voluptatem magìs, quàm munimentum, operosâ. Illa Reguli ſedes eſt; qui tunc Sebaſtus, priùs oppido, mox & Bellonæ, celebre nomen dedit. Aquarum penuriâ cives marcent; & ciſternis multi vivunt. qui verò pluvias faſtidiunt; ad collis radices fontanam, laboriosîs extractam antliis, poſtea carpentis convectant. Ea ſola vivi laticis aqua, & hæc ipſa canalibus ex amne Gelu derivata, ſiticuloſis pro Arethusa Sicula eſt, aut Ammonis Libyci ſalutari fonte.

Receptos jam intrà mœnia, rurſus aſpiratis nubibus inſtaurata tonitrua ſalutare incipiũt; non inſolenti ſinè fragore. ac nec imber quidem pepercit iterare moleſtiam; ſed, quaſi nondum ad plenum expiatos, ultimô lavacrô madefactos abſolvit.

vit. Mox alia, priore propemodum morosior, tempestas advenas excepit, torvus incolarum vultus; & nonnullorum haud obscurè fulminata, tanquam in fugitivos Tiberienses, maledicta.

Apparebat; Nihil nos in illos, sed religionem nostram, peccâsse; quam in nobis, Alarici studio furentes oderant. Cæterùm in hospitium introductis destinatū, humanissimè Theophorus noster præstò fuit: & amplexu datò sumptoque, sciscitari cœpit; *QVID NOVI?*

50. *NIHIL* (inquimus) nostris quidem Athenis. At in nostro (inquit ille) Areopago semper, & quidem venalia, *NOVA* sunt, asse facillimô: sive pro vobis vultis, sive contrà vos. nam sunt, qui pro Alarici successibus læta nuntient, confertissi-

mis chartis, ac lætitiam vendant. Iidem, si in emptorem inciderint, Leontarcho addictiorem (confestim autem ex fronte vultuque discunt) pro illius auspicatò volantibus vexillis, facundas & veras paginas habent. Quòd si *NEVTRARVM* partium, aut etiam (ut sic dicam) Religionum androgynos, anates amphibias, &, tam mari Balticô, quàm terris Imperii pasci solitos accipitres, nanciscantur: tum verò his Novitates hermaphroditas, &, tam pro Alarico, quàm pro Leontarcho stantes, obtrudunt.

Quid vultis? Nummos date; &, quoties volueritis, toties Vicistis. Tanquam in foro scrutorum plenô, mercem nigram & albam, lotam & illotam, tritam & rudem, reperietis. restabit meditari, quid eligatis?

60. Cùm

60. Cùm inter hæc confediſſemus, & laſſitudinis ſomenta jam in menſa, conſpectuque haberemus; hoſpes ex veſte epiſtolam producit, ac; Ne tamen, inquit, omnia (ex æquo, vel iniquò) Nova putetis releganda; quædam mitiori decretô cenſeo, *IN INSVLAM* duntaxat *DEPORTANDA.*

Jocari ego hominem ſuſpicatus in vocibus; in quam igitur Inſulam? interrogo. At ille; Verè, inquit: *IN GOTTIAM*, an in *BRITANNIAS*? nihil intereſt. in utram hæc Nova ambulaverint, lævum pedem inferent, ac multabuntur: quoniam & ſpei Britannicæ ſiniſtra obnunciant; & ambitioni Gotticæ noxia referunt.

Quid ergo eſt? inquit Verſius digni non ſumus, qui ſciamus? Vera ſint, an conficta, nihil

hil moror: modò hostibus iniquiora. Nam, quod ad fidem quidem & credulitatem meam attinet: ego vel Bovem locustam, ausim assentiri; dummodò contra Annibalem: &, *Pluisse trîlibribus lápidibus*; modò Campanô potiùs, quàm Romanô in agro. Scitis, arbitror, quid loquar?

Immò verò (ait ille) etiam id scimus, quod non loqueris. Verùm, id quod cœperam (si epistola non fallit) tale est.

61 . Dum enim vos duo per Icariam erratis profugi; inter hæc, dissimulatâ Tiberiâ (cui priori timebatis) Alaricus cum exercitu movit Athenaidem. Supervenitque incogitantibus: at nequaquam tamen imparatis. quippe jam Spartam illam Leontarchus ipse, cum universo militiæ melioris robore, insede-

ſederat: & belli totius, ſine dubio, cardo ingens, tunc in urbis illius viribus vertebatur. Intellexerunt id jam olim alii ex Septentrionibus Heroës; qui, antiquæ maturitatis conſiliô, non tantùm ante, ſed etiam propter iſta mœnia, pugnârunt: cùm, adverſùs Aquilam Quintanam, caſtra haberent, non tamen aliud tunc profecit (etiam illa vetus, & à tot capitibus expenſa, militia) niſi, ut urbis affectatæ fumum olfaceret; ac pro ſpe grandi, grande malum reportaret. Quò magìs miror Alarici, vigilantis ad exempla vetera, conſilium. Duobus, nec pluribus, tormentis bellicis, oſtenſis veriùs, quàm incuſſis; caſtellum munitiſſimum eſt agresſus: & hoc quidem, locô (propter intermeantem Bunadium) iniquiore; cui tamen caſtro-

rum metatio, trans fluvium opportunior, in manibus fuerat: si & in animo fuisset. Fremitu tantùm, & tot millium dissonô clamore, lymphatoque incursu ferox, plus fumi sparsit, quàm flammæ; plus terrorum excitavit, quàm funerum. Putavit, incertum, quibus inflatus pactis aut promissis?) tam facilè Athenaidem capi, quàm ab suis pagos uri. Sed impudens petitio, repulsam tulit; reclamantibus eloquentià nimis asperà ballistis: tubisque tormentariis paradoxa, plusquam Academica, conglobatim spuentibus.

Nec tamen destitit, ad portas sedere; luporum, ad ovilia, patientiam imitatus: cùm interim famelico, nihil oves intus, nisi Ficum tantùm, ostenderent, & eam ipsam, grossis acer-

acerbam, nec, niſi læsô ſtomachô, concoquendam.

Jam propemodum ſeipſum Alaricus, propter decepta vôta, mirari videbatur; & Athenaidem, quam ſuperare cominus non potuerat, eminus (quaſi quoddam per otium) ſpeculabatur. cùm eum, inutilibus intentum quæſtiunculis, Doctus è propugnaculis artifex notavit; ac ſyllogiſmô (quem, reor, *IN FERIO* nominant Athenaidenſes) diſputationem cœptam finiturus: Globô plumbeô intortô, Elephantum transmarinum, quo vehebatur, transverberavit. Alaricum autem ipſum, potenter excuſſum, afflictaque tibiâ, velut libratô in commodius tempus pondere, longiùs abſtulit.

Hôc ab ictu ſapere didicit; &, convaſatis per tumultum opi-

opibus, fugere. Nec pepercit, desperatis ad extremum votis, flammam castris injicere. Simulque claris vocibus, si recipere volumus, vaticinatus; *NONDVM* suo casui *POMVM* maturuisse! Athenaidem doctæ Palladi reliquit: suo Marti receptaculum aliud quæsiturus. Ac nunc ille Tiberiam, frendens fertur minaxque petere. Sed vereor, ne ex vulnere claudicantem, *LEONTARCHVS* præcurrat: & portas *CLAVESQVE* prior occupet.

Hoc Superi faxint! exclamo ego; meamque mihi Tiberiam, Clavibus intrà cohibitis, ab Extero clausam custodiant!

Nam de *POMO*, quod Alaricus conqueritur, *NONDVM MATVRVISSE*, minùs laboro, non fatigabo cœlum; nec, Pomonæ supplicandô, genua deteram,

teram. QVOD Sole VERNO noluit, AVCTVMNO maturescat! & in casum (si aliter de eo apud sidera conclamatum sit) certiorem! Hæc ideò dicebam, quia recordabar, quid secundùm quietē mihi nuper NEACHILLES Divitamniæ divinâsset. Ad extremum adjeci, ad Theophorum conversus; Nunc tandem assequi me, quamobrem hæc tam inexspectata NOVA, non in exilium: sed, sanctiore legum Themide, in INSVLAM & Septentriones deportari debeant?

Posthæc, precibus ex more conceptis, cœnam aggredimur, affectibus & amicitiâ, quàm opibus lancibusque cumulatiorem. Secutus (post utilem confabulationem, discussâ diei illius conscientiâ) quies & sopor,

62. Diluculô sequenti sacrificamus, Athenaidis maximè libertati gratulantes. mox in turrim evadimus, totâ Sebastenâ editissimam. in hac, (nam, gentis more, circumiri in summo poterat) totô periboli ambitu spatiantes, oculos curiosè circumducimus. Nec tamen apparebat magnopere, propter quod vel palpebram inquietares: nisi quòd ex remotissimo, Brigenormæ sylvas & viciniam videbamus; ex qua tamen, præter ophthalmiam, nihil curabile reportares; tam utique tunc corruptâ urbe.

Ecce autem, dum regiones arbitramur, atq; nemorum indiscreta spatia; à Septentrionibus vehementior coortus turbo, ad turrim cum impetu frangitur. jamqne speculæ tremere fastigium, & instrepere peribo-

riboli machina cœperat, cui insistebamus; ut planè metus esset, ne statim, etiam sine gradibus, descenderemus, præcipitiô excussi. Tunc ego sum usus prætimidorum ingeniô: &, excusatione repertâ, quâ pavorem meum palliarem, proclamo; Mihi regressu opus esse, quòd ventorum furiis debilitari caput sentirem.

63. Non est igitur dilata digressio. At redeuntes gravior excepit atque pestilentior quædam aura: quam, ex imo turris sensim ad summum, in se redeunte vortice contortus Aquilo, propellebat. nam in cochleam gyrata specula surgebat. Descendentium itaque naribus, odoris intolerabile piper ingerebatur.

Interrogo ego; Ex quánam Cilicia crocum istud? aut ex

qua Bandâ Indicâ Nux hæc myristicâ? vel quánam ex Assyria novum hoc amomi genus afflaretur?

Respondet Theophorus, honestâ phrasi; Habitare ad turris radices infamem pharmacopolam. nam simul & Vespillonem esse, & emeriti senii jumentorum excoriatorem. Hujus igitur lacunas, velut apothecam aromaticam, negligenter reductis ostiis, respirare auras parùm Sabæas. O, scelus! (exclamat Versius) & hoc in tanta Templi propinquitate? Hæcne sacrorum in hoc oppido reverentia? hoc thus ararum est? O fœtorem, Gemoniis dignum scalis! præ quo mihi vix respirare contingit! Ac simul incitatò cursu, non numeratis in descensu gradibus, ad hospitiū pervolamus.

64. Il-

64. Illic ego, fortuitò per fenestras sublatis obtutibus, inspectáque diligentius eâ ipsâ, de qua modò reversus eram, turri: notavi peribolum, cui paullò antè institeramus in culmine, ligneô duntaxat, eôque abiegno pavimentô suffultum. Et hoc parùm erat: Etiam crebris imbrium illapsibus, fragilis & annosa marcescebat materies; insidiosam putredinem etiam eminus ostendente carie: quippe virescentibus cum squallore maculis notabili.

Pœnituit mediusfidius, tantô meô cum periculo Sebasténoe fuisse Altissimum. &(credo) vertigine circumagente, de tam suspectâ turris statione præceps excidissem; nisi me tunc felix ignorantia sustentâsset. Usque adeò perniciosiùs interdũ sciuntur pericula quàm adeuntur.

65. Nullâ deinde re memorabili nec visâ, nec gestâ; post biduum Sebastenâ excedimus, quo tempore me digredientem, cùm aliquousque Theophorus hospes comitaretur, Alarici mihi fugam cum joco exprobrans: furor quidam afflavit, nescio poëticúsne, an vaticinus? Tanquam alter enim Agabus, conspectô Paullô; sic ego, consideratô fixioribus oculis Theophorô, cingulum de corpore solvi meô: cumque manibus illius injecissem, arctô stringens nexu, exclamavi;

Quæ modò munificæ sub libertate fuerunt,
Et laxæ, Hospitii sedulitate Manus;
Has rigidò domitas ferrô, famulisque catenis,

Ho-

Hostica Noriciô deteret ira jugô.
Scilicet, hoc Pietas, (ubi jus dant arma) meretur!
Ne scelera aspiciat; Carcere clausa, latet.

Explosit modestô risu generosus Theophorus vaticinium, quod suis mox eventibus absolutum est, ac tunc quidem, curarum istiusmodi vacuus, ad suos remeavit.

66. Nos autem, die viatoribus accommodatissimô (quippe nubibus innoxiis constanter tectô sole) progredimur; quò nos cunq; bonorum consilia spesque deducebant. Perpetuum inter umbrosas valles iter erat, & nemorum non asperæ semitæ; donec, limpidum vastumque transgressi lacum, & sylvam densiorem emensi, quam-

quandam in planitiem pervenimus, non inamœnam. nam etiam calculosô rivô camporum viror interluebatur; & circumjectæ, tanquam in amphitheatri ſuperbiam, acclives ſylvæ, ſitum in medio oppidum àmbibant. nec ab hoc uſquam longiùs in orbem, quàm ad octo ſtadia, nemus recedebat.

Huc igitur ſub ipſum ingreſſi meridiem, in Curiæ, ſatìs altæ, veſtibulô peropportunè conſidemus. Nec inhoſpita videbantur incolarum ingenia; nec illiberales mores: quoniam nos ii etiam, qui magnates apparebant, tantùm non ambitiosè circumſtare cœperant.

Ego igitur, facilis interpres, frequentiam iſtam in partem familiaritatis traho. mox de Alarico caſtríſque multa ſciſcitantes, invicem interrogo; Ecqua

qua igitur illi, adverſùs tantum, támque vicinum hoſtem, præſidia haberent?

67. Illi mihi tormenta monſtrârunt militaria, platearum utroque latere diſpoſita, tantâ mehercules aſtutia; ut balliſtam balliſta reſpiceret: & ſcilicet æneô tubô alterô in alterum hoſtiliter obverſô, cùm primùm flamma applicaretur, inter ſeſe emiſſis globis utriusque exitiô colliderentur. Nec ullo in loco certius vidi compendium, quô *DOMVS* ſuprà *DOMVM* rueret, & ab antagoniſta cive civis everteretur. In quo proinde ſtratagemate multùm illi ſibi gratulabantur.

Quæro ego ulteriùs; Si viribus humanis (ſicut fieri poſſet) debilitarentur; écquam Tutelam adoptaſſent ſibi potentiorem? Enimverò! ajunt; & quidem

dem potentiſſimam altiſſimamque, hoc eſt, In cœlo. Simul in curiam introductis nobis, è veſtigio parietem oſtendunt fronti oppoſitum. In eo fulminatricem Gnomam legebamus, verbis (quod omnes ſciunt) quàm optimâ fide annumeratis.

SI DEUS PRO NOS;
QVIS CONTRA NOBIS?

Atque hæc characteribus, in victoriæ omen, palmaribus antiquarius artifex expreſſerat.

68. Perrexit Verſius, &, velûti Curiæ ſuſpenſus miraculô, quærere de tam magnificæ ſtructuræ majeſtate inſtitit. Cui decurio quidam, annalium (ut apparebat) peritus; O, inquit, ô! noli mirari, mi hoſpes: Moles operis, principiorum omnium more, quondam informior; his primùm annis, ac ferè me Ædi-

Ædili, pervénit ad hodîernam gloriam atque venuſtatem.

Deinde nos manu prehenſos, extra veſtibulum producit; intentoq; in hyperthyri quandam inſcriptionem digitô, pellegere jubet; hos eſſe, quos inſpiceremus, inſtauratæ pronuper curiæ auctores: hunc eſſe renovatæ molis Annum.

Legimus ergò nos, in hæc verba.

ANNO RESTITUTAE
SALUTIS
M. CCC. XXIV.
PRIMUM EXSTRUCTA
HÆC CURIA IN FLORE
FUIT.
POSTEA,
UT FLOS OMNIS CADUCUS EST,
OPUS TAM DIGNUM
LAPSUM,
A FUNDAMENTIS INSTAURATUM,

CON-

CONSULIBUS
BLICTRIO, SCYNDAPSO,
ET NEMINIO, OPT. MAX.
RENOVATUM,
ANNO, UT SUPRA.

Interrogavit cum risu Versius; Cur eundem Operi Posito, & Renovato, Annum assignarent? cùm tamen trecenti jam interim & octo fluxissent Januarii?

O, inquit alter, ô hospes! apparet; Te compendiorum artem vel non callere, vel non probare. Brevitati consultum est, & Chronologiæ labori: idque, si verum scire vis, me auctore.

Tametsi, quid rationibus (inquit) tibi satisfacio? cùm manifestè videas: Ex universo Prytanéi veteris opere, nihil esse relictum, præter Annum: sicut characterum antiquus squallor te clarè docet. Et is quidem de in-

industria, majorumque summô judiciô superesse jussus est: quoniam metus erat, ne numero annorum hodierno, tam producto, parietis spatium deesset.

69. Multùm nos delectati tam Senatoriô ingeniô, oppidum relinquimus; pulvere priùs pedum diligenter excussô. Sub mœnium autem finem ex advena quodam sciscitor (quoniam antehac omiseram, gravioris momenti sermonibus impeditus) Quodnam isti loco nomen esset? At ille; Duplex, inquit, nomen. nam alterô, perquam priscô latinóque (sicut annales incolarum docent) & locus *QVIDAM* dicitur. Alterô verò recentiori, ac semi-Palæstinô *SALOMONIAM* ajunt appellari.

Et quare, inquit Versius, *SALOMONIA* potiùs est, quàm

DA-

DAVIDICA? Cui ille, Quid ad me? nec primus inveni, nec postremus nomino. viderint, qui excogitârunt! Si tamen aliquis conjecturis locus est; facilè caussas indagaverim. En! qui nunc sunt indigenæ, cæteris Icariæ alumnis sunt ut plurimùm similes, & horum temporum genio accommodati. Sed illorum majorès, ajunt anteîsse calliditate sapientiâque populos omnes, etiam Orientis. nec id mirandum esse. nam à puero omnes, Luciani institutîs, ad Salomonis *PROVERBIA* assuefactos: &, in *SAPIENTIÆ* præsertim librô, ad stuporem usque proficere solitos.

70. Egimus nos gratias tam utili doctori: mox deinde per camporum obliqua, septentrionalem ad sylvam progredimur. Ibi, dum Lacū, undîs illimibus

for-

formosum, & præter hæc etiam nemoris impēdentis umbrâ pictum, admiramur: ego quidem strophium carbasinum, quod sudans semper gerebam; Versius autem, peccatô crudiore, etiã pileum amittit. Ad lacustrē quippe marginem uterq! consederamus, contemplantes. repentè deinde, indictô per consensum itinere, aliorũ omnium immemores consurgimus: ac, veluti Leuctricã nuntiaturi victoriam, Philippidæ cursu festinamus. donec, quatuor jam millibus passuum ablati, detrimentum notamus & jacturam. Sed non debuit in pedibus plecti, memoriæ dormientis delictum: & propter sudarium unum atque petasum amissum, nondum ab Alarico Roma vel Vienna periclitabantur. Erat tamen alterna ex hoc jocandi ma-

ma-

materies; in Versio maximè: ut qui, ex quo tempore *SALOMONIAM* viderat, jam Capitis partem perdidisset.

71. Profundô denique vespere, fessi ad urbem quandam appellimus, montibus utrimque mediocríque sylva prætentam. Viburnorum genistarúmq; ac frondium lentiorum, ferax est solum: & vel hinc suum crediderim mœnibus nomen crevisse. *SALICES* enim dicuntur.

Nos, obliquis incolarum oculis excepti, ad Essæos rectà divertimus. Erat inter hos Histor Gallo-belga, vetus amicus. ac suprà eum *ANGELINVS*, illius tunc Synandrônis gubernator & Essæarchus. Dederam autem ad Historem nuperrimè litteras Ammontiô: quas, eádem primùm horà, per ignaviam tabellarii, traditas, super men-

menſam legebant & expendebant. Cùm ecce, Verſius & ego de improviſo ſupervenimus. Atque illicò quidem humaniſſimus Angelinus in occurſum noſtrum conſurgit.

72. Hiſtor autem adhuc in epiſtolæ calce occupabatur. qui, ſublatîs oculîs, ubi nos conſpexit, gaudiô fluens etiam ipſe exſiliit: & in amplexum ruens, mirari ſatis non potuit; Quomodo, qui ipſe jam præſens eſſem, ſecum abſens loqui per epiſtolam conarer?

Reſpondeo ego; Tam id congruere: quàm, unô eodémque loco atque tempore, Corpus, & Umbram corporis concurrere.

Initâ mox cœnâ (quoniam id hoſpita urbanitas urgebat) mutuiſq; ſermonum obſequiis, narrationum varia miſcemus: ſic tamen, ut manum manus

fricaret; ac ſcilicet, nihil utrimque loqueremur, niſi, quod radere cum blandimēto triſtiores aures poſſet. Conſtanter enim Nova deteriora, jam Sebaſtėnæ in exilium pepuleramus: &, inutili mœrore ſemper macerari, ſtolidum videbatur; præſertim viâ feſſis, ac propterea quiete dignis.

73. Poſtquam deinde, interpoſitâ nocte diſpulſiſque tenebris, diluxit, Hiſtor nobis *Salicis* urbem, de ſupremo turris faſtigio, explicat, comptam tunc & prænitidam. Orbiculata propemodum apparebat; ut ego ſanè tantò convenientiùs Microcoſmon eam appellarem. Inter ſuburbia, primaq; mœnia, vicem foſſæ, ſtagnum mediocre cives, hoſtiū cauti, interjecerant. Poſt muros pomœrium expanditur latum atque ſpatioſum; quod do-

domibus undequaque circumsessum, urbis alterius justâ speciem, ex alto arbitrantibus, objicit. Sequitur ambitus murorũ alius, & non parùm altior; qui oppidum interius opere firmo complectitur. Domuum pleręque, adversum incendiorum populationes, laquearium providentiâ concameratę sunt; nulla flammarum vi, intrà patrum saltem memoriam, violatæ.

74 Urbis intrà mœnia, circulô diducta, tanquam in annulo bene compactô Gemma, *Templum* est. Quod dum venerabundi subimus; Histor, priusquam limen contingeret, subsistens, & ad me conversus; Vides, inquit, Ilibesse, vides hanc Ædem? Delubrum hoc quondam fuit, trisæcularibus aranearum cassibus obductum situ tristissimô squallidũ, & in quo

vel Superi formidàſſent incole-re. Ideo de tholis illis, ante hæc tempora, Pietas quoq;, tam inciviliter tractata, demigravit (dubites, ſponténe, an tantùm expulſa?) Quâ ex aſpectibus ſublatâ, Muphti ſucceſſerunt, ſacrorum omnium expugnatores. Sub his, quæ priùs Ædes fuerat, etiam *ſpelunca* cœpit *latronum* eſſe. Donec, ſanctioris Dynaſtæ auſpiciis, rurſus eliminatis corruptelis, Religio rediit: &, hanc in lingua dexteraq; ferens, *Angelinus* meus. Quid ad hujus exemplum Lucianus & Muphti feciſſent; qui gratìs nec dant aliquid, nec accipiunt? Ringantur licèt! Id inimici quoque confitentur, quod dicam: &, illis invidè taciturìs, marmora loquentur virtutem orthodoxam. En! Angelinus Templum ſordibus emaculatum,

tum, inſtauravit ad usq; Miraculum: Nitorem etenim, quem Nunquam habuerat, repoſuit; & opus hoc è ſenectâ formoſius eſſe juſſit, quàm à fundamentis fuerat. Quódq; ampliùs obſtupeſcas: Ex ære, ſudoribus ſuis debitô, molem univerſam duxit; ſuaq́; de cœna & veſpere, obtenebratis Aris diem donavit, vile vir optimus habuit, Genium ſuum fraude lædere; dum Angelos cum Deo, reduceret: immortali rubricâ dignus Architectus!

Hæc tunc Hiſtor mihi narrabat: quæ nos ingreſſi, veriſſima comperimus nam equidem Baſilicam (extra Leontarchi metropolin) ſplendidiorem non vidi. Stantia longis utrimq; ordinibus periſtylia, molem non minùs longam, quàm arduam ſuſtinent. Tectoriô lucidô ma-

gnificéq; pictô. passim auri fulgor interlusus, artis argumenta spectantium oculis gratiore radiô ingerit. De composita exedrarum, atq; subselliorum partitione, nec Ephesii quidem conquerantur fabri. Sed Suggestûs palmarium decus erat: de cujus ornamento, sanè quàm ingeniosô, solus ille plura loqui debet, qui Cathedrâ tali dignus est. Tam pretiosa hæc est; ut illic, ob stuporem, etiam eloquẽtes obmutescere: tam prædicabilis, ut ob laudis copiam in illa muti quoque, loqui debeant.

Nondum aspectuum satur eram; cùm Ædis archiphonascus, Odeum è longinquo mihi commonstrat. Hîc ego picturæ deceptus artificiô, planissimè credidi, ad stadia plus duo locum illum distare. usque adeò peritè primùm aperta colorum

ars

ars, propiùs oculis accidebat. ſenſim deinde contractior; ad ultimum, tanquam in longiſſimæ porticûs opticam pyramidem, ſe conſumebat.

75. Per cochleam hinc ad *Organum* evadimus, amplum ſanè magnificumq; : &(quod ego operis animam judico) dulciter ſonorum. namq; ab Eſſæarcho Angelino jam ante præmonitus Ædis phonaſcus, nobis illum Agazarii, *de cœleſti gloria*, hymnum, admodulandum distribuerat. Nihil comminiſcor hôc locô. prorſus *ad perennis vitæ fontem* quieſcere mihi videbar; atque, inter tot honeſtiſſima gaudiorum irritamenta, ſymphoniam haurire *beatorum civium*. Nemo verò miretur, tam arctè me tunc iſtius Carminis Sirenibus illaqueatum. nam equidem (ut ingenuâ fronte me aperiam)

riam) etiam purgatrices inter flammas isti adhinnire hymno ausim: quô me jam tum, ab ipsis propemodū incunabulis, dulcis Agazarius multò veriùs, quàm Delphinum fabulosa Arionis cithara, post se traxit. Cùm animam agere cœpero, Hymnodiam istam auribus meis, Superi, insonate; & fugientem jam vitam, ab ultimâ quasi laciniâ, retinebitis.

Cæterùm digredienti mihi manum Cantores injiciunt; & cùm placuisse mihi Odeum sensissent; à me publicum aliquod approbantis testimonium efflagitant. Ajo illis; Hederam meam qualemqualem, jam pridem arescere: & illis in rem, suâ sponte celebrem atque coronatam, nostrô non opus fore corymbiô. Satis jam ante, lemniscatam illorum Musicam tri-

triumphare; tametsi nihil ulterioris fasciolæ, Ilibessus illi appénderet.

Cùm urgerent nihilominus; Versius tandem siccitatis misertus meæ; postquam multa de Templi illius situ, intrà Media propemodum oppidi viscera collocati, nec pauciora de nobili pendentis Organi machinâ concionatus esset; pro Epigrammate inscribi jussit operis anteriori basi (sic, ut ab ingredientibus legi possent,) Davidis verba, Babylonicũ quondam exilium vaticinantis: quibus tamen iisdem, præsens quoque thema tangeretur. Scribite, inquit;

In SALICIBVS, in MEDIO ejus,
suspendimus ORGANA nostra.

76. Illi, sic se facturos polliciti, discedunt. nos maturiùs pransi, comitibus Angelinô at-

que Histore, *Salicibus* Neapolidium pergimus.

Diei tunc medius fervor, inflammaverat omnia. quare sexdecim vix stadia progressi, in luco quodam, pinubus perquam frequente, considemus. Supra nos umbra, ramorum beneficium; ad pedes, in depressa convalle, fons erat, frigidissimô de saxis latice ebulliens. & undæ color talis, qualem cærulô temperatus cœli candor, primô diluculi nitore ostendit. Accesserat inter hæc, per illud ipsum pinetum iter habens, Colonus quidam, è Salicum suburbano, qui Neapolidium nobiscum unà cogitabat. Reperit nos fonti imminentes, & adhuc dubitantes, An biberemus?

At ille, sudoribus fluens, non diu deliberavit. Tunc & ego (siqua est impensè sitientibus
fides)

ſides)alioquin periturus,indulgente mihi Angelicò, bibi, tantum pæne, quantum vix Arbelis fugiens,præliò fuſus Darius. Totum certè fontem votis,jam ante potationem, præconſumpſeram: hinc, univerſum inſatiato cupidini guttur permiſi. Traxit hoc exemplum (in deteriora potens) etiam Verſium & Hiſtorem: qui meipſo(ſiquid hic tamen eſſe vitii poteſt) intemperantiores,ora ſupina ſpumanti ſaxo ſubjecerunt.

77. Colonus interim, dum & cæteri ſibi ſatisfacerent, ab hydrópotis aliquantùm digreſſus, in Formicarum immanem cumulum incidit: ac, me Angelinoq; ſpectantibus, nihil diſtulit, quin impreſſione conſtanti baculum ſuum(cui tunc ut viator innitebatur) immitteret, præferratum, & illis animalcu-

lis exitialem. Nec pepercit crudelis spargere disjicereque; & tandem fundamenta quoque destructa subvertere.

Superi, superæque! quis turbatæ illius Reipublicæ motus? qui furentium incolarum discursus? qui migrantium, per mille compita, tumultus? quæ turbæ collisarum inter se, cadentiumque bestiolarum? quæ (fortunis omnibus, & sua Troja excisa) exportantium onera festinatio? Domus, cubilia, vici, porticus, templa, foraq; & prætoria, cum urbe simul, & tot annis educta Arce, tam deplorandô ruerant exitiô; in stragem, nec sæculari quidem industria corrigendam!

Sic, sic (exclamabam ego) sic mortalium res sunt, & orbis Respublicæ! Nemo formicarũ potiùs (in quas tam altus affectus

ctus non descendit) quàm hominũ miseratione lancinetur!

78. *Talis erat placidi, Quinto sub*
Cæsare, vultus
Imperii: cùm, longa patrum Pax parta labore,
Intrepidos Latiâ tegeret sub sede, nepotes:
Cùm populis Arx Roma foret; cùm mœnia, Cœlum:
Vna fides, unusq; Deus, Caput omnibus unum;
Quamvis sparsa domus, quamvis distincta colonis
Iugera, regnorumq;, suô sub sidere, fines.
Aurea vel nunquam, vel tunc, cum Sole, micabant
Secula, synceriq; dies, & Numinis anni
Innubes; nulloq; tremens Respublica fulcrô.
Alta Quies facta est oneri sibi! Venit (ab Arcto

Omne malum) ferus Islebides : baculoque *superbe*
Nixus arundineô præfracti Principis, almam
Disjecit strepitu pacem : gladioq; rebelli
Miscuit humanis divina, profana sacratis,
Sceptraq; vomeribus. Trifidis Alemania sectis
Ex illo divisa die, non Templa retentat,
Non Superos : Veterî cum Relligione, sorores
Lex, Pietasq; jacent, & scissô Fœdera nexu.
Migratur, quò quemq; suus fert impetus ; Ordo
Tam nullus, quàm nulla fides. minimumq; malorum est,
Quòd rapiantur opes ; nisi diriperetur Olympus !
Nam Cœlum sibi quisq; novum, nova fabricat Astra ;

Qua

Quæ mox, in totidem Rhadaman-
thus Tartara vertet.

79. Cùm hæc turbulentis intra me, ſed tamen veris, cogitationibus effudiſſem: erubeſcere pro colono tacitus cœpi, illiusque furori diem dicere; quòd ad Islebidæ exemplar, in bene compoſitam laborioſiſſimi animalis civitatem, graſſatus eſſet. Quid adversùm hanc barbariem clamaturas Formicas, Auro cryſtalloque incluſas? quid, electrô & fortuitô ſuccini flentis illapſu ſepultas? Quid illas, quæ alicubi terrarum, non certè ſegniùs theſauros, quàm hôc locô grana, congerunt?

In quæ Angelinus, tanquam & ipſe ſenſum notâſſet meum, ad me converſus, cum murmure, ac tanquam in aurem; Animalium, inquit, non ſolùm operoſiſſimum, ſed & delicatiſſi-

mum inſectatus eſt, carnifex hic colonus. Ut enim taceam Merulas, avium canorarum non poſtremas, quibus hæ unicæ ſunt in paſtu deliciæ: etiam homines in Oriente reperias, qui Formicas Indicas, perinde ac nos cancros aut boletos, pipere præconditos, cœnare geſtiant.

80 Progredimur deinde languidi; ac prior ego viam, quamvis ignotam, urgeo, Neapolidii deſideriô.

Sed mediô ſylvárum limite pergentem, terror pæne phanaticus rejecit. Nam tres occúrrere ſeu Fauni viſi, ſeu Sylvani, tardum contra me gradum molientes: ac totô paſſim corpore villoſi. Nec fugere dubitâſſem; niſi me Angelinus atq; Hiſtor retinuiſſent; quibus id Spectrorum genus, ſæpiùs antehac objectum, jam quandam in familia-

liaritatem verterat. Neq; ſanè timoris aut fugę juſta cauſſa erat. Quoniam Paſtores erant montani; qui per luſum illâ ſe ſcenâ induerant, inolitâ jam ſcurrilitate. Juvenes procero robore, cæterùm imberbes, pendentem ex abietibus muſcum detraxerant: &, in barbitium capilloſq; figuratâ glaucâ lanugine, frondibus foliiſq; corpori reliquo circumſutis, ſchema quoddam Satyricum ſubiërunt. Difficileq́ue fuit, ad formam redire, nam illi, poſt abjectam etiam larvam, vultu tam tetricô barbaróq; adſtiterūt; ut excoriatos ab Apolline Marſyas nominaſſes.

81. Superamus tandem pinetum, & in montanum tractum evadimus; cujus in declivi flexu *Neapolidium* adibatur. In ejus collis ſum̃ô, Periſteræus quondam, Eſſæorum & ipſe amicus, Cru-

Crucem depanxerat, fictam ex præcelsa stirpe; quam totam rubricâ imbuerat Caussa operis, in loco tam solitariô, Religio Christiana fuit, & Hebræorum odium; quos, in subjecta valle incolentes, necesse erat, frequenter illuc obtutus (etiam invitos) deflectere: non absque oculorum quotidianô vulnere.

Nos, adoratâ Cruce, descendimus; & in Neapolidii suburbia ingredimur, sanè quàm tectis incolisque frequentia.

82. Inquilini plerique, Nazareni nominis osores, Moysen adhuc & Circumcisionem sequuntur. Nec id tamen inhumanè dissimulant. Archisynagogus certè, Moschus nomine, succedere nos, gentis suæ Sacro, ut ajebat. Precario coëgit.

De Judæis (fateor) invitus narro, Synagoga erat, ad modestam am-

plitudinem exſtructa ; tectô, (velut apud nos templa) utrimque declivi & faſtigiatô

Portæ majeſtas usq; adeò nulla; ut in ingreſſu Pumili quoq;, & qui cum gruibus bellum gerunt, ſuis frontibus timerent. nec ibi ſupervacuâ ſollicitudine peccare unquam poſſent Anſeres, provida colla ſubmittentes.

Ingreſſis porrô, pollubrum ad lævam præſtò eſt, aquis temporariis ſcaturiens. ea Judæis adoraturis prævia vetusque eſt expiatio; negante nobis Moſchô, ritè manus in cœlum, niſi ſic emaculatas, tolli. Sed (ut ego arbitror) profectu pari Judæus lavatur, & Æthiops. indignantibus enim diſpendiũ ſuũ aquis, alteri ſemper malus color, alteri mala mens manet, & abundat.

Ad dexteram; reticulatis diſcretus cancellis locus ſtabat; quem

quem nos tunc Odéum nominabamus; sed, invitô mystagogô nostrô, vocémq; aversante, docebat enim nos, Sacrum id esse & religionis immaculatæ Gynecéum. ibi, suæ legis matres virginésque, subductô à viris corpore, *Numen* adorare. quibus tamen fas sit, sacrificii tempore, castos ad Aram oculos, per fenestellarum maculas, quas videremus, emittere.

Jacebant super exedras atq; pulpita, tæniæ passim & limbi carbasini, acu picti: necnon in spiras, scrupulosâ sedulitate, convoluti. Iis Hebræarum anilis superstitio, cùm precantur, dexteras circumligat eâ parte, quâ brachio palma per internodium committitur. Ajebant, in tæniis illis scriptam Decalogi legem. Verùm ego, neque Chaldaica notavi, nec Arabum ele-

elementa: multò minùs Palæstina quoniam imperitę netricis acus, dum Phrygiam Assyriámve picturam affectat; incertô tantum & fortuitô stamine, per universam telam erraverat, mæandri erant artis Babylonicæ, non, Decreta cœlestia.

Singulis præterea limbis adjacebant libelli singuli (ac ferè Pentateuchus) idiomatis illi quidem Palæstini; sed, typi Adriatici.

Educimur hinc, in Synagogę medium. Illic, quà meridies incumbit, Arcam aspicimus, abiegnam: nam Judæorum Libanũ & cedros, & Sethæi ligni im̃ortalitatem, jam pridem caries devoraverat. infra arcæ basim Ara stabat lateritia, sanguine pariter & adipe pinguis: lucernáq; trilychnis, de tholo pendula, sed lucis emortuæ. adversùm

Aræ

Aræ cornu ſiniſterius, Pluteus proſtabat, cantoribus erectus juxtímq; , pavimento infoſſus, ſulcus oblongus, ſatìs ad perpendiculum expenſus:cujus tamen caput, ſulcô aliô transverſim dextrâ ſiniſtráq; præciſum, Atticæ literæ Tau, aut ſerpentis Moſaici figuram expreſſerat. Illâ foſſâ, memorabat Judæus, ſanguinem exceptari parvulorum, quando præputiô minuuntur.

83. Ad extremum etiam Pentateuchum nobis officioſus Rabbinus exhibet, characteribus Hebraicis & volumine Pergameno, nitidiſſimè exſcriptū. Nullum illic folium opiſthographon vidi; Quoniam, ſiquis adverſâ in pagina ſcriberet, is adverſari legi Numinis (ait Moſchus) cenſeretur. Volumen porrò erat, ad antiquitatis Romanæ ritum; umbilicis utrimque

que argenteis, latâque bullâ ſplendentibus, finitum.

Cùm ille, nobis non invitis, folium evolviſſet chartæ virginis, & ad miraculum usq; longitudinis excurrens: ſtylum protulit, hoc eſt, cannam argenteam ſesquipalmarem, digiti minimi craſſitudine, baſi globatim vermiculatâ. cujus extremitas in figuram & geſtum Indicis digiti, docenti ſimilis, deſinebat. Serviebat id inſtrumenti genus legentium cujdam cæremoniæ (quantum ex Rabbino conjiciebamus) nam eâdem ipſa, quæ proferebat, verba deſignabat accuratè, religioſâ precioſæ arundinis applicatione. Patuitque, Nefas apud eos haberi, ſi aliter fieret: utique poſtquam Angelinus noſter audacem volumini digitum injecit; ut, neſcio quod, ſcheva vel Kibbuts,

buts, à Moſcho inter lectionem præteritum, argueret. In quod facinus tam validè Judæus exclamavit; ut ſuſpicari abſentes poſſent, Nolentis ac repugnantis gutturi porcinam intrudi: aut, iterum ab Antiocho aliquo pollutas Jeroſolymorum Aras eſſe.

84. Stabamus interea nos capitum nudi, nullâ certè loci deteſtabilis reverentia, ſed calori diſſipando; quem, æſtuante cœlò, tectorum frigidiores umbræ, per vaporum compendia, clauſis in locis educunt. At Hebræus id pro religione quadam, &, ſueta Chriſtianis urbanitate, interpretatus; à nobis rogare veniam cœpit. Quòd enim ipſe eandem morum elegantiam hucusque præteriiſſet; non ſe ruſticitate, ſed prudentia legéq; prohibitum, DEUM, quem

quem illic in Arca clauſum haberet, opertô velle, non adapertô capite, adorari atque coli. Idque ab ſe potiſſimùm exigi; quippe, qui non minùs Sacerdotis, quàm Synagogarchæ partes obiret. Eſſe autem Aäronitis lege imperatum; inter Divina Infulatos verſari.

Ità, ità! (inquam ego) atque hôc tibi titulo gratias ago; quòd unâ eadémq; operâ ſimul & te excuſas, Moſche, & me doces. In hunc enim uſque diem ignarus, hodie primùm diſco, Quid ſit INFULA?

Subriſit ille, verecundior in ſuas laudes: concuſsóq; leviter pileô; Hæc, inquit, hæc ipſa eſt, ſive Mitram dici mavis, ſive Infulam. Erat autem Judaici capitis tegumẽtum Laneum, oppidò muccidum detonſúmque, & (opinor) Ægyptô

ſpoliatâ vetuſtius; cujus etiam fuiſſe præda pannus ille videbatur, de quo partus iſte poſthumus in pileum exciſus erat. Ad ſummam, Fungus erat, non galerus; qui ſi quando ſubverteretur, etiam aquilis nidum præberet: dummodo in ſummo arborum vertice collocares. Et tamen iſto Moſchus monſtro, tanquam honorum inſignibus, ſuperbè tectus toto tempore aſtiterat.

85. Egredimur tandem è ſacrilego ſacrario, ſpectaculorum ſaturi; cùm, ecce, antè veſtibulum collectas, (incertum, quâ cauſsâ?) Judæas offendimus, matronarum (ut apparebat) honeſtiores: & ſplendidè omnes veſtium apparatu, tiarísque barbaricîs excomptas. Sponſalia videbantur, aut nuptiarũ auguralia feſta inituræ:

quo-

quorum auctorem poſcerent, in præſenti, archiſynagogum.

Iſta nobis turba quæſtionum movit occaſionẽ; interrogante Angelino; Quot eo loco ſtirpis Hebraicæ cenſerẽtur familiæ? Cùm taceret Moſchus; Immò, (inquam ego) dic, non huic tantùm, ſed etiam mihi! qui non minùs interrogo, Quot utiq; capita, tuis ſubjecta ſacris, numeras? Reſponde Moſche!

Urgenti, ac propemodum cogenti mihi, tandem, pudibundô vultu, ſe purgat; &; Quòd ad quæſita tardior ſum, ait: nolite, viri optimi, ſuccenſere. Religione ſcilicet retardor. Quâ? inquit Verſius, aut cujus? Davidis (inquit alter) Jeroſolymorum regis: cui quanti ſteterit, Numerâſſe populum; etiam vos ſcitis, quippe iisdem nobiſcum Regum

Annalibus & uti aſſoliti, & credere.

Ridiculum verò! inquam ego. Quid igitur Abrahamo dices, mi magiſter & doctor Iſraëlitice? Abrahamo, inquam, tui generis ſancto auctori? qui, captivo fratri ſuccurſurus, numeravit expeditos vernaculos trecentos, decem, & octo?

At ille; Vernaculi, inquit, erant, non, Abrahamô prognati. Ità? (ajo ego) vernas ad calculum vocare licet? ſtirpem autem & domeſticos non licebit? Tu igitur & Moſen, ſi ſuperis placet, argue, Abrahami ex Cetura poſteros (utique Suos) numerantem. Reprehende, Duodecim Jacobi Filios, &, ex his Nepotes, recenſentem. Diem dic ſcriptori, quòd Animas ſupputet, Ægyptum Iſraële duce ingreſſas, Sexaginta ſex; aut eti-

etiam Septuaginta. Vitio verte, quòd arithmeticè memoret Hebræos, Ægyptô regressos: quòd, tanquā militarî sacramentô coëgat & lustret, Sexcenta peditum millia, absq; parvulis, & parvulorum matribus. Ipse *NVMERORVM* liber, quid est aliud, quàm prosapiæ vestræ numerosa collectio? maximè, post Moabitici lupanaris historiam & Phineæ sacerdotis vindicem pugionem? DEO autem, Ter Opt. Max. exercituum domino, quid facies, Ninivitarum innocentium, plusquam Centum viginti millia Numeranti? qui tam ad Numen tunc, quàm hæc suburbana plebecula ad teipsum, pertinebant.

Denique, vos ad rem attentissimi patresfamilias, non boves numeratis vestros? non asinos? non nummos, & cir-

cumcisam (sinè cæremonia) monetam? Nec oves quidem, vel tu vel uxor, in pascua aliquando, sinè computatione, mittitis:

Bisque die Numerant ambo pecus; alter & hœdos.

Quid multis? Indignabundus disputavi. nec Judæus, quod refelleret, habuit. Stabat, Verre deprehensô confusior, & elingui Battô taciturnior, & oleô mucosô pigrior, & amurcâ stupente putidior. Ego proinde obmutescenti superstitioni longum vale dico: ac discedo.

86. Sub hæc in oppidum ascendimus *Neapolidion*, nomine quidem exiguum; sed re structuráque longè humilius. Nihil addo, nihil detraho: vix vicenæ utrimque ædes, serie tamen æquali dispositæ, Plateam unicam, & in ea totam urbem,

ab-

absolvunt. Ad occiduum solem locata porta princeps, portam ex opposito alteram, iisdem, quibus ipsa conspecta est, Oculîs, incommotîs inconnivísque, subjicit: tam propinqua, ut stridor cardinum alterius, suô tremore alteram quoque concussam expergefaciat. Ad oppidi caput, quà Orientem respicit, Templum est. Plateas alias & vicos, nec ex consanguinitate (quod vulgò dicimus) nec ex affinitate habet: præruptis utrimque collibus, & monte (cui Neapolidion impositum est) ædificiorum auctarium respuentibus. Solum tamen urbeculæ firmum, &, ut lapidum fulgor loquitur, metalliferum est: ac situs, eminus intuentibus, spectabilior, quàm cominus expertis.

Nihil illic, (quod curiosis ta-

men in promptu jacet) vidi, cujus causâ tubum opticum quisquam promeret; aut saltem specularibus nasum gravaret.

87. Tantummodo in pariete prætoriæ, ut reor, domûs, captam à Mahomete, Turcarum tyrannô, Constantinopolim, & raptas ad navigia virgines atq; pueros, longóque catenarum tractos ordine Byzantij palatinos, vidi: truculentum, pro portis, acinacem Imperatore vibrante. ad eum, nescio cujus fautoris, dextera ex nubibus descendebat, cornutæ lunæ pictum insignibus vexillum offerens; cujus apicem lauri folia coronabant. Pigebat, odiosum pictoris argumentum fixioribus oculis persequi. Itaq; retractô gradu, Sozomenum tantùm salutamus, virum inter Essæos disertum ac bonum: & eodem pro-

propemodum momentô egredimur; clamante poſt tergum noſtrum Sozomenò; Eho! Ilibeſſe! & illud Bilbilitani vatis;

Cur in theatrum, Cato ſevere veniſti?
An ideò tantùm Veneras, ut Exires?

88. Nec tamen profecit quidquam officioſiſſimô conatu, jam non tantùm invitator, ſed propemodum coactor Nos enim, abire pervicaces, viâ aliâ, inter montanas arborum umbras, & fluctuantes Favoniô ſegetes, ingruente mox veſperâ, regredimur. Iter erat, fractis modò caloribus, temperatum ac lene; quod ipſum beatô compendiô contraxit Angelini ſuavitas, & Hiſtoris fabuloſa garruláq; facundia, religioſô riſu mixta. Interludebat his viæ deliciis, ſubjectus

jectus amnis : placidúsque, ad dexteram planitiem labentis, fluvioli decursus. quem equidem tunc ignotum, identidem Murmuratorem, propter inquietas ad saxa allisiones, appellabam. donec ex Angelino didici, Banidis fluvii hoc alterum esse brachium.

Salices deinde ingredimur; unáque solà nocte interpositâ, post actas immortales Angelino gratias, indidem excedimus: Histore nos aliquousque comitante.

89. Jàmque meridies altissimus, omnia torrere cœperat; cùm ego, capite, (nihil præter solitum) afflictus, post alteram ferè leucam confectam, in pineto quodam consideo: precésque exorsus, ex voto debitas, ad extremum, dolore superante, proximæ stirpi caput acclino.

Ni-

Nihil æstuantibus faciliùs, quàm somnus, affluit: & morborum insuper accessio, etiam invitos illaqueat. Succubui igitur (bonâ veniâ tuâ, lector!) & obdormivi: cùm priùs in spirā convolutum pallium, ægrotanti occipiti subjecissem. Assident interim Versius, atque Histor; fabulis, nescio quibus, moræ tædium arcentes.

90. Omnibus consumptis narratiunculis; ex me jocorum thema carpunt, & hilaritatem instaurant suā, quia, dum dormio, culices (vicinæ paludis familia) magnô se numero in sylvam intulerant. Subinde pascua quoque nacti; ad cutis meæ pinguedinem, sudore succidam, congregantur; ignorante me, & altùm planè stertente. At furciferi illi, sopitô dominô audaciores, carnem tunc pellémq;

meam in spolium vertunt suũ; creberriméq; immissis rostrorum spiculis, passim configunt, sanguine exsuctô. Quorum ego malorum non improvidus, priusquam somno victos oculos permitterem; vultui strophium injeceram, sed postmodum, invalescente cum doloribus sopore (non planè, né tunc quidem, expers stupidi vulnerum sensûs) dejeceram: perinde, quasi sudarium mihi, nõ sudor, obfuisset. Immo longiùs in prohibendo progressus hoste: ut quodque membrum crudelius à cyniphibus tractabatur, ità celerius in sopore occurrebam; atque, in ictum libratâ dexterâ, nunc sinistram nudam, nunc pectus, in ventos aliquantulô apertius, aliàs frontem quoque & faciem atque labia, verberabam.

Ità

Ità ridendi materiem comitibus, in propinquo vigilantibus, miniſtrabam: ac nonnullam, toties variatis Actibus atq; geſtibus, Comœdiam dabam extemporalem. Ad extremum; cum naſum in promontorio (ſic enim dicam) culicum cæterorum audacior unus atque dux, morſicaret; non habui amplius neq; conſilium in poteſtate, neque mei victoriam: ſed, excuſſiore palmâ) velut *ALARICVM* repulſurus, & non, muſcam unam) nares innocentes ad cruorem uſque invaſi, atque violavi.

Ad quod dormientis peccatum Hiſtor cum Verſio ſplenē totum, effusô riſu, laxavit. ego autem, ſimul verberis mei ſonitu, vulneríſque ſenſu; ſimul & cachinnantium tumultu, ſuſcitatus; errorem meum, & u-

nà interfectum natantémq; in cruentata manu, culicẽ deprehendo. At me sublatum manu Versius erigit; ac, diluendo sanguini, ad proximum sylvæ rivulum deducit. Ibi, dispulsô jam utcunq; capitis morbô, viam molior; & ab Histore, qui reditum urgebat, verborum urbanâ alternáque gratiâ divulsus; ultra pinetum, ad septentrionis obliquam plagam, contendo.

91. Duabus, plus minùs, horîs interjectis; Arcem prætergressi arduam, quæ oppido ad lævam imminebat, Oreólithon nomine; tandem, luctante passu, in Montem evadimus, omnium quos hucusque adieramus, editissimum. Ibi Versius (fatigatorum jure atque lege) sub arbore, quæ illic unica stabat, se prosternit & obdormiscit.

Ast

Aſt ego ſomnorum, ex recenti calamitate, cautior, vigiliam obfirmo. mox in loci verticem evado; unde oculorũ tanquam in amphitheatri medio, liberrimus patebat, & infinitus excurſus. Illic omnem in conſpectu collectam *Icariam* habui; cùm ad latera ſeſe Oriens, & Occidui fines, aperirent: poſt me Septentrio, longò tractu conſpicuus: ante me regio Antarctica jaceret; incredibilî terrarum ſpecie. Tanquam enim in Thaboris vertice, regna mundi videbar, & regnorum gloriam intueri; non Luciferô, ſed naturâ, oſtendente.

Experimentum deinde phyſicum capturus (ut ſæpius antehac) dum apicem omniũ altisſimum aſcendere connitor, neceſſariò me pronum extendo: campóſq; & oppida infrà patẽ-

tia, contemplor. Is aſpectuum lætiſſimus fuit; cùm in unam velut circùm-vernantis horti aream, compendiosô congregata globô regio, præſtò ſtaret universa: cùm, tanquam in geographica mundi picturâ diſtantes procùl montes, nemoráq;, & urbes, atque camporum lacubus frequentium viriditatē, unà cum ſubjectis convallibus, exhiberet. Ante oculos dixiſſes eſſe, Heſperidū Inſulas; non, infamem ſterilitatis, *Icariam*. Ego quidem certè, non dubitavi. Paradiſos illic & felices aurô Cherſoneſos mihi fingere; excitante comprimis ingenium, cœli puriſſimâ facie, ſine nubium omni maculâ. Quare totus æther mihi ſolida quædā, perſpicuíq; nitoris, *Gemma* videbatur. Et iccircò non diſtuli (quieſcente præſertim Verſiô) tam ama-

amabilis aſpectus gratiam, tacitâ (quam adhuc vividè recordor) poëſi mecum expendere; pro meritis & Naturam extollens: & mortalium ſtolida, in margaritas, ſtudia exagitans; ut, qui per maria terráſque ambitiosè quærerent, quod tamen quotidie ante oculos jaceret. Quid? (cogitabam egomet mecum.)

92. *Quid, verberatus remigum tyrannide,*
Campus quotannis frangitur Neptunius?
Vt barbari ſpolium vehatur littoris,
Eoa gemma, parva merx, magnum malum?
Cujus venuſtas tota ſit, Crebrò aſpici:
Cujus honor iſte ſolus eſt, Ab aurium

Im-

Immâ revinctam fluere cartilagine.
Tanti emitur ergò unius (& quidem exulis
Ac barbari) lapilli iners suspendium ?
Quod dedecus ? quæ cæca nox oculos nigrat ?
Aut quæ phrenesis miscet in vero dolum,
Vt vana malit animus, & solida abnuat ?
Si, succini Formica vincta carcere :
Si, electrinô Lacerta clausa ergastulô :
Si Mundus, Archimedis intrusus vitro :
Si, Pyrrhi Achate tota Musarum cohors
Collecta, placet : & Artis, aut Casûs, tria
Prodigia gemmas admovent omnes polo,

At-

Atque in Tonantis aureum digitum inserunt:
Illa inseratur, illa potiùs unica,
Diaphana, rutila, picta, solida, nobilis,
Cœlestium SPHÆRA ORBIVM sapphirina!
Hæc vera Gemma est, Gemma mundò comptior:
Hæc margarita grandis, ingens Vnio.
Hujus Adamantis excavatô in ambitu
(Cingente, quidquid dextra finxit Numinis)
Solis pyropum, Cynthiæq; topazion,
Tenebrîs lacessitum, ignicare senties
Cernes per umbram stelleos carbunculos.
Quid Imber? an non Succinum est Olympicum?
Electriférque, nube deductus, Padus:

He-

Heliadas ánne flere malis, quàm Iovem?
Fons laticis albi, illustris, & tralucidi,
Quid est? Aquea Crystallus, aut crystallina
Aqua. Lege eádem, dic Lacus Smaragdinos,
(Propter virorem) vel Lacustres, si placet,
Voca Smaragdos. Gemma erit, quidquid vides.
Cyanea cernes Flumina: Mare, Punicô
Cùm Sole purpurabit, amethystum putes:
Cùm stabit, amplum Marmor: at, cùm fluctuat,
Crispante Zephyrô, Iaspides pelagô trement.
Ipsi arborum fœtus, parúmne Gemmei?
Parúmne merx tibi transmarina & Eoa sunt,

Tot

Tot axis utriusque cocta Solibus?
Cerasa , calentis picta minio Iulij,
Quidni Corallia dixerim nemoralia?
Aut, Margaritas fructuosas, reptilem
Fragi rubentis copiam? Si exploseris;
Dicam Vniones guttulatos (parcite!
Non erubesco) Quid? famelicus, Attali
Malim edere gazas pallidas, glebarum opes;
Quàm Mála citrea? sive poma Punica?
Aut Assyria? Cydoniásve sphærulas?
Hoc, hoc, Avari, verum, amabile, sapidum est,
Horti metallum vescum, & aurum pransile

(Quid

(Quid rursus erubescis, ad vocem, ô Metrum,
Ceu non Latinam? potiùs, ad vitium suum
Avarus orbis, in ruborem se induat!
Nos loquimur, ille & patrat, infandos logos)
Quid multa? Gemma Mundus est, thesaurus est;
Modò nôris usum. Gemma vasta est totus hic
Cœli globus, tot asteriscis fulgurans.
Immanis Annulus, Annus ex quo volvitur.
GEMMAM hanc, & Orbis Annulum augustissimum,
Appendit è Digitis tribus, Mundi artifex.

Hæc cæli terrarúmq; Miracula mecum meditatus, surgo tandem: excitatúmq; Versium propello,

pello. In via, ſicut fortuitò, ad latus dexterum, obtutui variæ ſe undequaque arces & oppida offerebant; etiam Neapolidion heſternum faſtidioſus relibavi.

93. Notavit Verſius, ex frontis meæ nube, oppiduli tam viſi, quàm reviſi tædium. Igitur, ut aliquo tamen marcentem ſtomachum meum acetô excitaret, in Mahometicam everſi Bizantij picturam, multâ diffundi laude cœpit; Quàm illuſtri colorum temperamento, quàm inventionis feſtivô ingenio, pictor uſus eſſet; quàm nihil hiſtoricę veritatis, eruditum ſuum penicillum paſſus eſſet ignorâſſe. Nam & caput, inquit, captivæ illius celebratæque virginis videbam, imperatoriæ arcis ſpeculæ infixum.

Ego, quid virginis Verſi⁹ deſignaret, ignar9; & præter hęc non toti-

totius Neapolidææ tabulæ tenax; precibus eum instigo, ut narret. Quod ille, Turcicæ per superiores dies historiæ, quam Ammontij nactus erat, sedulus evolutor, non recusavit: sed; Tragœdiam electissimã, amœnô viarum delinimento, persecutus est: me sanè perquam curiosè affixo, propemodúmque etiam verba, ab narrantis ore erepta, cupidè devorante. Agè! dicebam: &, ne nobis iter simul & hora pereant, per temporis calentis tædium doce me, da facundiæ, quam in te cæteri mirantur, etiam mihi experimentum aliquod. aut certè, si tam honorificũ munus refugis, Versi; quia loquax es, saltem garri, quoad satìs est. Tunc ergò Versius exorsus, in hunc modum;

94. *MAHOMETES*, inquit, Ottomannici nominis alter impera-

perator: cùm hinc quidẽ Thracios campos atque littora, Scythicîs legionibus inundâsset: illinc Propontidẽ Asiaticîs classibus & epibatis instravisset: nostrîs in Europa discordantibus, Constantinopolim tãdem, præsidiorum debilem, occupavit.

Confestim, fractîs crucibus, substitutísque in vexilla Lunîs, & contaminatis altaribus atque Templis, omnis Christi memoria majestásque ejicitur; flagitiosus ubique pseudoprophetes (victori tyranno cognominis) subrogatur. Tam impii cultûs sedes atque solium deligitur, famosum Sophiæ, basilicúmque Templum.

Quid memorem, arrogantes in omni victoria spiritus; sed in Turcis potissimùm, etiã cœlo insultantes! Steterat, (&, heu! steterat!) urbis mediô

ſpectatiſſimóque loco, Crux æ-nea, ingens, ſumptu nobilis, arte nobilior; auri cruſtîs undequaque radioſa. Ex ea pendens Chriſti ſtatua feliciter laborata, & animorum motionibus celebris; auguſti corporis fulgore, quoties diluxiſſet, etiam Solares ſplendores incendere ſolita.

95. Hanc barbarus Numinis contemptor, ſuos ante oculos exciſam proſtratámque clavis evulſis, de ſtipite æneô detraxit. Tum capitis tegumentò Saracenico, diſcoloríq; tiarà contectum, abjici ad pedes juſſit ludibundi exercitûs: ut neſcires, diriúsne verticem conſerta ſpinis corona, an flagitioſorum capitum ſacrilegũ diadema ſauciaret? Neque hîc contumeliarũ ſumma: tyranni imperiô, funibus in pedem inje-

jectis, eo dedecoris habitu, per ſtrata plateáſque raptatur illius urbis; quam ipſe, Conſtantini miniſteriô, Romanæ majeſtatis ſororem conſtituerat. Quid jam Palæologum referam interfectum? quid omniũ promiſcuas cædes? quid natantẽ in palatino ſanguine regiã? quid raptas in ſtupra virgines? in flagitia pueros ingenuos? in contumeliam thalami matronas atque nuptas? oppreſſum armîs virile robur? cæſa ſenilia corpora? parietibus alliſos & ſaxîs, vagientes infantes? omnia denique facinora, quæ victor exercet, & victor Turca? Quid enim? humanitatem ille promeret aliquam in homines; qui primò omnium pietatem calcâſſet in Deo? Immanitatem à Superis inchoârat & Numine: ut jam, quidquid

in mortales adderet; levitas, non scelus, videretur.

Jámque, deletâ hostilitate, sublatísq; Christianæ reipublicæ reliquiis, Byzantium omne præsidiis, prætoriáque custodibus firmata, securitatem rebus Ottomannicis & dignitatem pepererant: volantéq; per terrarum orbem Imperii nuper eminentissimi, nunc oppressi, famâ; celebre passim erat & formidolosum Mahometis nomé. Ac paratus jam erat Orbis reliquus subigi, siquis ausus esset subigere: nutantésque terrore provincias, quassare. Sed victoriarum cursum interrupit, bellorum febris, Amor: & durum Martis opus, mollis otiô Veneréque voluptas.

96. Ecce! inter puellarum matronarúmq;, abducta in classem, agmina; adolescentulam Ty-

Tyrannus, per luſtrādi opportunitatem, obſervavit; virginem (niſi fallor) Mitylenæam; formoſarum omnium ſinè dubio reginam: & cujus inſuper faciem commendatiorem fecerat, demiſſis in oculis ſedens, pudibunda modeſtia; ſinè fuco, ſinè coloris affectatione ſplendens. Erat enim Chriſtianis natalibus & inſtitutis; atq; vel eô nomine, Saracenarum ab inverecundia, quàm alieniſſima.

Habent hoc amatores nefarii: pudore cum pulchritudine ſociatô, furioſiùs uruntur: & in illam formā inquietiùs inſaniunt, quam ſuperinducta virtus (velut ebori aurum) illuſtrat.

Expertus eſt tunc eandem amentiam, vulneratus aſpectu Mahometes: & dominicæ libertati captivâ catenas injiciente; amoribus quàm arctiſſi-

mis turpiter irretitus, iſtam ſibi Mitylenæam delegit, tanquam Juditham Holofernes, aut Rhoxanen Alexander; quâ militaris illius animus emolleſceret. Neque tantùm puella detrectavit, quantùm debuit, aut feriâ aliquâ frontis nube, libidinoſis imperiis obviàm ivit.

97. Quid autem, quid exſpectes aliud? Fruſtra firmam mentem, à pectore femineô, requiras: ſinè cauſſa Conſtantiam à ſerva & juvencula. Habent liberæ & adultæ, quod laborent; ne captivæ fiant & adulteræ: Fidésq;, fœderum ſanctimoniis, & maritorum tot cuſtodiis obvallata, prô ſcelus! extra leges nonnunquam ſpatiatur; atque abnoctat. Et nos innuptam, &, ſi reſiſteret, ſceptra mucronésque incurſuram, mira-

mirabimur adeò, si probrum esse imperatoriū maluit; quàm privati mangonis alicujus intactum mancipium.

98. Sedebant igitur (ut quàm verecundissimè dicam) sedebant unà vivebántque, dies ac menses totos; ut jam nihil a Sardanapalo Mahometes distaret, æternus penetralium incola, nec à Carcere thalamus discernebatur: nisi, quòd inter vincula castitas vixisset; quam alibi, jam ad Libitinam usque, Cupidinis furor interfecerat.

Jámque lucis uterq; fugitans (ut vel sic a mortuis nihil differrent) in umbris tantùm & caligine trahebant ævum; ne possent ad lucis conspectum erubescere. Sed profectò, Nulla Crimina minùs operiuntur, quàm capitum publicorum: & in solio, prodigium est; Diu

cùm pecces, diu latére posse.

Iste cum Græcula suâ, tam clausus & inaspectus procus, primùm suspicionibus: deinde convictâ jam infamiâ, sic in exercitum exiit; ut, si castrorum in meridie deliquisset.

99. Nec alius jam militi sermo, nisi de Imperatoris probro, captivæque Virgunculæ Christianissimâ verecũdiâ. Accedebat, ad spurcissimi facinoris turpitudinem invidiámq; ventilandam, mentium potens turbo, Castrorum nempe, per tot jam menses, neglectus: stipendiorum à quæstoribus tarditas: vacillantes in fide populi: laxior militiæ disciplina: spoliorũ, ex novis expeditionibus, præcisæ spes: & (quod generosissimo cuique pro vastitate est) interrupta, jámque planè jacens, victoriarum aliarum ex aliis festinatio:

tio: denique metus, ex Germano Francicóque hoste, non per omnia commentitius. Cùm præclarus interim imperator, ductórque gentium, ad id usque temporis invictarum, errore cęcò (tanquam in nocte palpantes solent) pro suo Marte Erótem, & pro Bellona Diónen prehenderet: ac, ductandi munus in Nuptialibus mallet, quàm militaribus consumere.

100. Jámque adeò propiùs seditionem, otiosi militis vagũ murmur venerat; totísque agitatam castris clamorum rebellionem, apparebat, ad armorũ audaciam erupturam. cùm purpuratorũ princeps, Mustaffus, déprehensô in mora periculô, de ducum sententia, in Prætorium festinat. Decretum illi erat, aut dehortari ab insaniâ amatorem, si posset; aut, si non

poſſet, à furore deterrere legiones: ſi neutrum ſuccederet, officio ſaltem fideíque, intermori. Acuebat audaciam ejus tam periculoſam (quis enim facilè, ſemperque regiis auribus inoffensîs, Verum immulget?) inculpatus hucusque, etiam in *illa* aula, honorum principatus; & purpuratorum, ſine obtrectatione (quod rariſſimum eſt) locus primus, incõcuſſus. ad hæc, belli pacíſq; exempla fortia, manu prompta, vel ingeniô promota. denique familiaritatis, & hujus quidem illo in culmine, nexus inter Mahometem & Muſtaſſum antiquiſſimus: atque utriuſque unô lacte imbuta infantia; iisdem inſtitutis & artibus conſuefacta coæva ætas. Hæc illi omnia, etiam ad arguendi libertatem, ſi res exigeret, ſtimulos admovebant.

Mu-

Muſtaffi nuntiatô adventu, Mahometes, quanquam ægrè, tamen tandem egreditur infami ſuô contuberniô: cùm interim, ob deſuetudinem dudum non viſi Solis, ad lucis apertioris aſpectum marcentes oculi, dubiô nictu luctarentur.

101. Cæterùm, poſteaquam pro familiaritate intimâ, confidendi poteſtas Purpurato facta eſt; emotis arbitris aliis, Muſtaffus præfatus, magna à ſe, magnóque imperio neceſſaria afferri, fari incipit; Sæpiùs jam conceptum alloquii impetum, & ſalutaris conſilii confidentiã; imperatoriâ præpeditam fuiſſe ſive latebrâ, ſive ſolitudine. Sed illius quidem receſsûs aut ſecreti, cujuscunque tandem, noluiſſe ſe cauſſas, ſed nec debuiſſe inveſtigare. ſatis rectũ ſibi ſemper eſſe viſum, quidquid capiti,

inter Oriētalia altiſſimo, placitum fuiſſet: ſanctūmq; id omne habuiſſe, ſiquid Victori in terris feliciſſimo, vel cœlum vel homines ad votum indulſiſſent.

Noluiſſe etiam, ne ſuſpicari quidem, aut omninò cogitare, quid eſſet? quóve monarches ſuus in otio occuparetur? Famam primam, ac priorem (ut in aliis omnibus) loqui cœpiſſe; deinde, conversô in deterius habitu, mutatam, infami raucóque probrô, tota Byzantinorum caſtra implèſſe. Nec ſe diſputare, quàm jurè, quámque injuria. Scire ſe, Imperatori unico non præſcribi, ſed pareri ſolere. fateri etiam, Omni Solio, & Ottomannico præ cæteris, æquali lege juréque ſtatim à cunabulis adnaſci, *LICITVM*, & *LIBITVM*.

Id nunc unicum ſe, pro innatâ

natâ fide, ſuggerere; Non eſſe nunc tempus: Aut, ſi vel maximè regius affectus eo vergeret; tamen gaudio modum poſſe temperamentúmque conſtitui. Jucundiora voluptatum eſſe ſtudia, ſeriis interpolata. nec ſolidam eſſe poſſe, longámve lætitiam; quæ ſe fructu nunquam interruptô ſatiaret. Suaviùs ad intermiſſa otia rediri; quàm, faſtiditâ ſaturitate, tandem in ſolidum proſcribi, atque extrudi.

102. Tametſi, quid tam ſevero (inquit) opus conſilio? Nolo nec intermitti quidem oblectamenta: Variari tamen, auctor eſſem. Verior eſt, quæ per plures currit flores, Oculorum amœnitas; quàm, quæ in roſâ unicâ defigitur. Volo dicere; Non tanti tibi videri virginis unius ſpeciem debere: in tanta

præſertim regiarū uxorum turbâ, prophetæ noſtri legibus tibi conceſsâ Neſcio, an non cæcitas ſit (imperator & domine) unam ſolam. Græcanicæ nativitatis puellam, videre atq; credere formoſam. cæterarum, & quidem tuarum, tanquam in caligine, vultum præterire.

Quaſi vero, ad exactiorem corporis bonitatem perducat, Chriſtiani fœditas baptiſmi; quàm Aſiaticus creet aër? aut Aſſyria perficiat educatio?

Quòd Græcam aliquis albedinem diligit, errat; & vitium amat, pallidamq; ſanguinis inopiam. Quare ſi (ut plerumque) candore caret Oriētalium purpura formarum: non illa pulcritudine deſtituitur, ſed emendatiore ſanguine floreſcit.

Hæc Muſtaffus poſteaquam, ad delendam ex amantis men-

te Mitylenææ perniciosam faciem, peroràsset; Saracenarum superinductâ restitutaque æstimatione: rationibus deinceps ponderosioribus, & regni dignitatisq; momentis aggressus est, eaq; proposuit omnia, quæ vel necessitas temporum, vel murmura rebellium loquerentur;

103. Citiùs imperia ampla comparari; quàm semel imminuta amissáve, restitui. Exiguis sæpe radicibus, detrimentorum sylvas pullulâsse, nullis falcibus amputandas.

Longè potentiorem esse rebellium concordiam, ad regum ruinam; quàm monarcharum secures in supplicia. Nec esse negligenda tot capita, quia Servilia. nam multitudinem illis, in ira, fieri pro libertate: & longè periculosiùs furorē excitari

for-

ſordidorum crabronum; quàm ingenuam apicularum bilem. Servorum copiam, ſi pareat, tutelam eſſe domini; ſi jugum frangat, excidium. Recordaretur etiam veteris gloriæ: & præter hanc recentis, in maximo debellandô imperiô, décoris. Retractaret ſpiritus illos ſuos, & æquales cœlo animos: quibus, generosô anhelitu, egreſſus Oriente; Pontum primò Bithyniámque: tum Smyrnam, Joniámque & Ægæas inſulas afflâſſet; tantum regionum victoriis, quantum deſideriis, complexus.

Unò veteris alacritatis impetu, nõ hoſtes tantùm; ſed etiam, ſi qua nondum adita ſubactáq; eſſent, ſub vota redigi poſſe.

Ad extremum Muſtaffus genibus advolutus, & plantas amplexus, obſecrabat; ut non

tam libertati sermonis, quàm amori (qui sæpè reverentiam oblivisceretur) veniam daret.

Cõmuni postulatô se legatũ, siquid protulisset confidentius, id se de suo; siqnid prolixius, illud de Omniũ ore, locutũ esse.

104. Secundùm ea Mahometes, taciturnus hucusque, & varius; tandem iracundô ex pallore in verecundiam diffusus; humo Purpuratum erexit. deinde, secus, ac timida Mustaffi exspectatio augurabatur, pauca subjecit, quibus declararet; Gratum sibi publicę vocis interpretem; sed ingratissimam esse, vocem. Meminisse etiam legiones jubebat; Imperium sibi, cum tot populis, jam tunc in cunis pro fascia substratum; Turcarúmque monarchas, vulgò statim nasci solere, non populari gratiâ regnis imponi. Illorum col-

collo jugũ: ſuo verò capiti diadema, congenitum. Proinde, Omniũ eſſe, Obſequi: ſuum unius, Imperare. Ac, quanquam abs ſe non rationes & cauſſas, ſed jura deberent, atque mandata capere: nihilominus ſe Muſtaffi gratiæ daturum hoc, ut die abhinc tertiò prodiret. Pro prætorio igitur frequentes adeſſent! verbò ſe, factòque tumultuantibus reſponſurum.

Dictum iſtud tyranni, in ſe anceps, ſubridentis geſtus mitigavit. ut adeò nõ dubitaret Muſtaffus, Comitia in diem tertiũ, & verba clementiæ plena (placidus interpres) renuntiare.

105. Hæc inter, jam varia cœperat, in furentis Principis pectore, pugna gliſcere. hinc admonentis gravitas, illinc mulieroſa trahebat conſuetudo. Et nunc ille quidẽ regnorum mi-

litiæque pondera: nunc autem inolitæ philogyniæ jacturam ulcerosam, animo volvere; durúmque utrimque arbitrari, & omittere ludum, & ad seria non reverti. Urebat ante omnia Græculæ lubricus, & indivulsus aspectus; hòc insidiosior, quò brevior, si deinceps ætatèm carendum esset. Jámque adeò etiam tridui morula molestiam accersebat; tædebátque pariter, & exsequi destinata, & tam diu differre.

Adsummam! Gloria inter se, voluptásq; duellô coibant. Nec tamen horum quidquam puella secors sensit, aut impotentis proci litigiosos affectus indagavit: contenta, veterem ad consuetudinem adhiberi.

106. Vicit demum in dubio deliberantis regis æstu Mustaffi auctoritas, sed, ne interim tri-

triſtaretur infelix Iréne (hoc enim puellæ nomen) ultimô veſpere, non jam Ancillam, nec puellàm (ut ſemper antehac) ſed Dominam, & in craſtinum, Imperatoriam Conjugem, ſalutat. Id ſibi, poſt ſeriam deliberationem, deniqueconcluſum eſſe decretùmque; manè poſterô ritibus publicis, tanquam Auguſtam Ottomannicam, inaugurare. Quod proinde ſecundis Gameliis Arabs propheta fortunaret! iret ſinè mora, atque in nuptias ſeſe comptam comatámque præpararet; ingeniô magiſterióq; ſpeculi, quàm poſſet, abſolutiſſimô. Corporis cultum aſſumeret, quàm vellet, pretioſum. Cæſariem tamen ſolam, turritô faſtigiatam turbine, meminiſſet intectam relinquere; Ut Cydari, (inquit) Auguſtææ, quam, velut jam uxo-

uxori imponam, locus ſiat.

107. Poſt tam baſilica pæ-
néque cæleſtia (ut videbantur)
promiſſa, cogitare pronum eſt;
Inſperanti pariter, & incapaci
adoleſcentulæ, inſomnem gau-
diô noctem proceſſiſſe: Auro-
rámque cupidæ tardiùs, quàm
reliquæ toti Thraciæ promicu-
iſſe. Quantò longiùs reliquum
illi biduum extendebatur? Sen-
ſit tunc certè Mitylenæa, ni-
misquam verum eſſe, pœnéque
Oraculum, illud, quod pro di-
cterio priùs jactabatur; Mulie-
res dum comerentur, dum po-
lirentur, dum lavarentur, An-
num eſſe.

108. Tertiô tandem in orbem
illatô Sole; cum jam in præ-
torii atrio capaciſſimô, Turci-
cus miles omnis, & cum ſatel-
litio Ottomannico Duces ac
purpurati conveniſſent; grega-

riis

riîs tantùm exteris, pro castris stare jussis: in Theatrum excelsum, ac peristromatîs undequaque floridè convestitũ, Mahometes Imperator prodit: procerâ simul corporis majestate, festóque præter solitum habitu, suis conspicuus. Quem ut, ex longo non visum tempore, feroces Ottomannidæ agnoverunt: languescente statim tumultuantium spiritu, pariter in genua dejecti, salute tam sonorâ adorârunt: ut redivivam, reducémque ad Tyrios, arrogantiam Herodis sentires.

109 Ponè latus deinde Irene quoque, reverentî cunctatione tardior, processit: oculîs nec penitùs ad priscum captivæ ritum dejectis, nec tamen plenè cum supercilio laxatis. Stabat ergò, renidebátque,

Nymphe, ligustrîs albior Ligusticis:
Recentis ore Cynthiæ conspectior:
Puella, lux nitentiorum virginum:
Stellante nictu; fronte, marmoris æmulâ.
Lactente malâ: purpurascentî labrô.
Baccata collum instrinxerant monilia.
Humilêsque Mitylenæa sandalia pedes,
Cœlo admovebant, ac spei, nimis ardua,
Iam tunc seipsam excesserat. Quid jam loquar
Aurô rigentem synthesin? quid cingula?
Quid décora cultûs alia? quid viscum efficax,
Oculos vibrante lubricos nictu? Sat est.
Puella tota quanta, nil erat aliud,

Quàm Illecebra picta, delicatus harpago,
Flexanima Furia, viva mors, valens lues,
Pretiosa pestis, linteatum Incendium!

Hâc tali, tamque compositâ conspectâ Lesbiâ (nec enim aliunde patriam habebat) incontinentes affectuum barbari, suspiria (tanquam ad Helenæ quondã primos intuitus Phryges) sustulerunt, nec formæ laudes dissimulârunt. sed murmure potiùs, quàm clamore; ne potentem æmulum quisquam irritaret. Pœnitebat jam plerósque, suis querelis hanc (ut dicebant) Deam se invidisse quieto, & præter hoc principi, possessori. nemo tamen palàm errorem suum accusabat.

Inter quæ Imperator, satellitiô prætorianô, cui maximè fidebat,

debat, ad latera circumfusô ſtipatus: poſtquam & Cydarim juſſit uxoriam apportari, ſellâ aureâ receptus, aſſidente ad lævam Irenâ, ſic locutus ad ſuos fertur;

III. In recenti recordatione, milites, habeo ea omnia; quibus imperatorias aures querelæ veſtræ, per hos dies, flagellârunt: interprete purpuratorum meorum principe.

Quorum equidem ſervilibus ingeniis, cum poſtulato tam imperioſò abſurdè cohærentibus, ſtylô ferreô, & unâ in omnes ſanguineâ liturâ, dudum reſponderem; niſi me generoſum eſſe mallem, quàm ſeverum. Luporum eſt, & fœdioris ortûs beſtiarum, ab injuriâ acceptâ ad iras, ab iris ad ultionem decurrere. Leones contrà, tunc armantur, cùm parem hoſtem

nacti ſunt: imbellium pelles deſpiciunt citiùs, quàm trahunt: & unguem nobilem dedignantur, ignavô ſpurióq; ſanguine maculare.

Ad iſtius exemplum indolis, nos quoq;, calcatô contritóque vindictæ impetu, querulorum immodeſtiam increpare ſatìs habemus: plectere, non eſt animus. & in ipſâ adeò verborum caſtigatione, nõtam contra vos, quàm pro nobis, loquemur.

Otium pleroſque, & incluſa thalamo corporis laxatio, offendit. Quã, quæſo, ob cauſſam?

112. Teipſum, Muſtaffe, turbulentorũ internuncium, pro tua antiquiſſima in caput noſtrum fide, te, inquam, appello! Quid tuus ille in hoſtem felix nervus, in prælia indefeſſus arcus Gortynius? quid poſſet? quid ageret? ſi æternâ Chriſtia-

nis

nis canibus tentigine minitaretur? ſi dies noctéſq; ſtrictus, lunaretur? Ipſa remiſſionis fraudatio, etiam ſtrenuum injacula, remiſſionem efficiet. I, præterea: & Equum vide tuum! numquid bellicoſum, & ad tubæ ſonitus prurientē ephippiô ſemper aut æneô cataphragmate, aut etiam corporis tui mole, pertinax inſeſſor oneras? Certè quieſcere ſinis; & non pondere tantùm, ſed etiam phalerîs relevatum, ad præſepia decumbere pateris: ac nitidè curare jubes.

Conclude igitur; omnibus quidem, ſed acerrimo cujque comprimìs, laxatione opus eſſe: etiam inter bella.

At otium videlicet probatiś; genus tantummodo modúmq; otii (noſtros illos Amores) improbatis, egregii morum Catones!

Quid ità verò! an remiſſionis iſta ratio nova vobis & inſolens eſt? Quaſi verò non in fortiſſimo quovis, etiam veterum heroum, hæc (ſi ità vultis) levitas locum habuerit? Dies me priùs, quàm copia, defecerit, illuſtriũ procorum non oblectamenta recenſentem, ſed tantummodo nomina adnumerantem.

113. Quòd ſi geſta domeſtica ſunt in exemplum (ſicut eſſe debent) potentiora; legum noſtrarum ſanctiſſimus conſtitutor, & cœli conſiliis adhibitus Prophetes; nónne exiguô tempore, & victoriis orientem percurrit? &, interpoſitis voluptatibus, dum urbes hoſticas expugnat, plurimorum interim matrimonia obſedit? Ut alia prætercam omnia, vobis jam antè divinis Alcorani teſtimoniis comperta: certè quidem cum Jacobina, re-

gis Armeni filiâ (tunc captivâ) num aliter, atque ego cum Irena, perdius pernóxque verſatus eſt? & hoc, ringente Uxorum ipſius principe, Axâ?

Quod igitur in *MAHOMETE* magnô veſtrûm nemo non celebrat: in nobis, tanti Indigetis & nomen & exemplum ſortitis, quæ tandem invidia eſt, ſugillare?

At militiam arguîtis, & imperii quotidiana augmenta, langveſcere. Nempe aufertur virtuti noſtræ, ſiquid in futurum differtur? Longæ, ô! longæ ſuperſunt etiam nunc nobis manus: quas nondum adeò contraxit deſidia, quin ad reſiduas Græciæ, Europæque provincias extendere poſſimus.

Ipſum me Græciæ nomen, in tempore nunc admonet: ne Argolicorum heroum vetuſtiſ-

ſimos ſilentiô transcurram. Profectò enim & Omphalæ Hercules, & Medeæ Jaſon, & Philomelæ rex Tereus, & Ariadnæ Theſeus, obſecuti ſunt, ad ſervitutis propemodum opprobrium. Agamemnonem capta Caſſandra detinuit, quem virum? Regem quidem certè regum! Nec enim, in Arabicum traductæ ſtylum, Ilias, & Athenarum pleraque eruditio, nos hæc ignorare ſinunt.

Ad Deorum igitur exempla ſemideorumque utiq; fecimus, ſiquid nobis indulſimus: quibuscum peccare malim; quàm cum jejuno cælibéque Chriſto ſidera tenere. Nec fabulæ ſunt iſtæ: ſed, fabularum ingenioſô ſapore, commendatæ poſteris hiſtoriæ. Troja omnis, quàm lubricô, tam verô ſitu ſtetit, excidióque corruit.

Mihi

Mihi tamen, quoniam ad Achivorum mentionem altiùs ſermo provectus eſt, & nos Achajæ totius triumphandæ ſpes inexpugnabiles excitârunt: præ cæteris nunc Achillis probatur arridétque imitatio, non ille bellô, quàm deliciis exercitatior, poſt Scyrosń, & exhauſtam pudore regiam; poſt Briſeida, Chryſeidémque ſibi ſociatas, Polyxenæ Virginis nuptias etiam vulnere quæſivit: ac vivere priùs deſiit, quàm ludenti animo obſequi.

114. Hujus ego non erubeſcendos æmulatus ignes, Irenês meæ Cupidine, milites, ſed honeſtô tamen, auferor, hujus nuptias certus ſum, etiam ad diſcrimen & lethum, perſequi; haud ſanè ſollicitus, probaturisne vobis, an reprehenſuris? Sed quæcunque factum meum ſe-

cutura fama eſt; obſequentibus, & imperio fidis, ſatisfaciam, etiam tunc, cùm perversè faciam: Querulos & criminatores, utcunque de Conjugio pacare debet deſidiæ (quam vocant) noſtræ poſt nuptias temperamentum. Ac, quoniam vel *finiri* conſuetudinem optant noſtrã, vel frigére; votorum ſummam ab indulgentia conſequentur noſtrâ. Languidiùs omne fertur in legitima, quàm in extraordinaria corpora, deſiderium. Uxore ductâ Irenâ, ad Arma, milites, ad Arma totis animis revertemur.

115. Ad eum ſermonem acclamatum eſt ab univerſis, incepta, deſtinataq; gratulantibus: &, controverſiæ totius argumentum, Irene, per omnem quidem orationem hilaris, tamen matrimonii publica per-

cepta

cepta voluntate, de sedili suo, ad Sponsi potentis pedes genua submiserat.

Sed manu levatam Mahometes, obversô in spectatorem exercitum vultu, stare jussit. Ipse autem, de solio erectus, cùm paulillô spatiô retrorsùm puellam sequeretur; lævam suam capillorum puellarium summo turbini implicat; tanquam per lusum & ostentationem, etiam alienæ admirationi conjugis comas approbaturus. Tunc aurô politô lucidiores, & præter hoc etiam interfulgentis Solis radiô commendatiores, cincinnos illius tot insuper tæniæ, innodatæque gemmæ, ad prodigium usque extulerant. Ideoque & Sponso, tam ambitiosè manum injicienti, placere videbantur: qui non desinebat altiùs identidem pressiùsque

capillorum verticem elevare.

116. Sub hæc, voce clarissima, Mahometes; Placet, inquit, Irene nostra; placet, connubiô tecum convenire. Decretum est, Uxorum nostrarum principem te, propter formam atque mores, promulgare. Legitimum est, fixumque ac sanctum, Mahometi secundo Irenen Græcam, hodie in libertatem assertam, tanquam Achilli Polyxenam nubere: Dotémque dari, Terram, quam nunc pede premis. cydarim denique, & Augustæ Ottomannicæ insignia, inauguratione sollemni, nullóque refragante, cum thalami jure conferri, dari, ac dicari! Tuum id unum erit, Irene mea, consensu non minùs clarô annuere, volentémque vicissim velle.

117. Ad quæ cùm puella, ter in-

infelix, non minore vocis, quàm gaudii certamine ſuccla- maret; *Velle*, velle ſe, ac, quid- quid juſſiſſet Victor atq; Spon- ſus, *Per omnia* prorſus *obſequi*; tunc Imperator barbarus, uni- verſô capite humeriſque pro- cerior, longéq; ſupereminens; dextra raptim evaginatô acina- ce; Irenen æquè capillis atque lætitiis ſuſpenſam, & apertiore inſuper collò cervicéque per fraudes accommodam, ictu unô (fidem veſtram! ô Superi!) tru- culentus obtruncat; attonitis ad immanitatem non-proviſam legionibus.

Ac ſpecioſum quidem trun- cum, cruore quaquaverſum contaminatum, iratô pede in lapſum adjuvat ac proturbat. Caput autem Irenês, jam ſucci- duis oculis, & extincta venuſta- te marcidum, in vulgus ſupér-

que vertices militum, proje-ctat: adjunctô scommate; Sic (inquit) sic Achilli suo gloriosa Polyxena mea nubere debuit. ut non funerato, sed superstiti, priùs victima fieret, quàm domina.

Illacrymantibus immanitati tantæ etiam Purpuratis, ac ferocissimô quovis spectatorum: adjecit superbum suiipsius encomium, &c; Ite nunc, inquit, ac Mahometen, Imperatorem vestrum, milites posthac mollitudinis arguite! Amica vos cæsa redarguat: loquaturque contra turbulentos hoc elingue caput, ac testetur; Nos & indulgere didicisse voluptatibus, & invalescentibus frænum injicere.

Ut clariùs, non Domini tantùm, sed & Domitoris titulô me dignum agnoscatis; ecce, supra vos, etiam nobis imperamus!

mus! Nunc, ex promiſſo, ſigna convellimus! caſtra militiamque, ſervi, movemus.

Hæc fatus, theatrô digreſſus eſt: Caput Irenês, tyranni imperiô, de ſumma ſuſpenſum turri, diu deinceps anceps ſpectantibus argumentum pependit; dubitantibus Byzantinis; Immaniúsne ſæviſſet, an furioſiùs priùs amaviſſet, invictiſſimus puellarum Carnifex?

Hic exitus (ait Verſius) hæc cataſtropha fuit, Mitylenææ adoleſcentulæ; pudorem, famam, conſcientiam, & fortaſſe (quod caput eſt) DEUM ac felicem æternitatem, voluptario Carceri, barbaricisque complexibus poſtferentis.

118 Secundùm quæ, in lacrymas ſolutus ego, tacitô fluentes ſtillicidiô; voce nullâ propter ſtuporem adjectâ, mecum

ſolus

ſolus ſilenti lamentô (tanquam inteſtino pugioni) incubui: cumque ſeverâ querimonia; Papæ! inquam: hæc igitur turpis obſequii lucra ſunt? hæc ancillantium, ad Veneria miniſteria, dotes atq; mercedes? Nempe paucorum dulcedo menſiū, infinitam invenit amaritiem! nempe potenti proco eadem & imbellis columba fuit, dum diligitur: & odioſa pica, dum laniatur! Velim, ah! velim hîc, tot gemitus meos, totidem eſſe ſonoras tubas, totidémque claras buccinas! &, ſi parùm hæc ſunt, etiam Tonitrua! quorum tumultuoſa vox, omnium longè latéque fœminarum aures, cum pondere motuq; compleat: cum fructu ſucceſſuque perterrefaciat! Diſcerent illæ, ac diſcerent fortaſſis ex Græcæ juvenculæ deploratâ clade, vete-
rum

rum Latinarum pudicitiam; quas non tam ſtantes in Collina turre viri, aut proximus portis Annibal; quàm integræ mentis, in impolluto corpore, conſtans amor cohibuit. At nunc (prô ſcelus, Chriſtianis erubeſcendum ſæculis!) permúltæ, non niſi ad Solem & emolumentum ſuum pudicæ ſunt. da enim latebras, & fidem ſepelient: tolle ſanctiores arbitros, & verecundiam extinguent; etiam nondum extinctis Lucernis.

Atque utinam fluctuantem pudorem, utilitatis ſaltem anchorâ ſtabilirent; & damnoſa fortunarum, vitæq; naufragia, pro licentiæ retinaculis haberent! Parcior fieret Aſmodæi triumphus; & formoſarum minor in Tartaro catalogus. Nunc usq; adeò, Vulgi quoq; prudentiam, hoc eſt, detrimentorum

fugam, non ęstimant; ut in procorum fluxas amicitias, ac nullô fidei ævô durabiles, suâmet sponte irruant, demētes puellæ!

119. Parùm tamen etiam idipsum videri posset, & inter probra vulgaria traducendum: nisi ad exitium à Matribus tales plerumque, vel ducerentur, vel præpararentur. Quid enim (Deum immortalem!) quid ille facit, à genitricibus cum lacte filiabus instillatus, venustatis ambitus? quid, prostare in mercimonium jussa, seminuda pectora? quid, fornici pejori præludens, capillorum arcus, multiplici in altum circulô suspensus? quò spectant, emissitii in publico, templisq; vultus? quò virginum in juvenes stupra optica? quæ tamen hodie, Curiositatis nomine, tanquam peccatillum, & non, peccatum, excusan-

fantur. quò pictæ formæ cerussa pertinet, totiusq; vestimenti (ne quid minus dicam) pellicatus? Ex his Matrum instrumentis, virginitatis primùm detrimenta; tum pollutarum odiosa desertio, fastidiosa fuga, truculentæ cædes ac parricidia nascuntur: nondum etiam sobole prognatâ. Quòd enim mitiora omnia quædam fatuæ sibi pollicentur; falluntur illæ! verisque in auguriis tenuiter, ac planè nihil, sunt versatæ.

120. Non in Græcam solam, nec à solo Turcâ sævitum est, ô deliræ! post semel deceptos amores. Mahometes iste vester, si bene calculum ponitis, ubiq; est; & omni sub Amatore latet carnifex. Mahometes (ô mater) & tyrannus est, quisquis incontinentem filiæ tuę oculum infigit; quisquis præter licitum se-

ctatur; quisquis ambit turpiter, quisquis rapit, quisquis ad flagitium impellit. Ac ne dubites, quando noceat, audi me! Tunc, tunc Elisæ tuæ Pius insidiatur Æneas, quando blanda loquitur: tunc captivam trahit, cùm in solitudines sevocat: tunc sauciat, quando nefas persuadet: tunc interficit, cùm pudorem extinguit: tunc decollat, cùm bonam mentem (vitæ nostrę caput) aufert: tunc Irenês tuæ truncum exanimem pede proturbat; cùm ex claris, aut certè tamen ingenuis, natalibus libidine dejectam, popularibus calcandam opprobriis objicit. Tunc denique, tunc puellam perdit, cùm ipsam deperit. Nisi fortè tam amens es, ut, quamdiu corpus valet, nullam in corruptela mortem, aut miseriam, agnoscas: & extremiùs perire pu-
tes

tes illam fœminam, quæ sangui-
nem amittit obtruncata; quàm,
quæ Animam delevit contami-
nata: atrociorémq; censeas nu-
ptiarum, quàm Cœli, jacturam.

Quid habet nunc ex omni li-
bidinum fructu, miserrima Ire-
ne? Minùs illam Mahometis
sævientis acinaces, quàm dili-
gentis procax oculus, labefecit.
Illi namque puella innocens
supplicium; isti debet incestam
culpam. Gladius vivere prohi-
buit; sed thalamus rectè vivere.
Itaque pro brevi barbari com-
merciò, æternam Cœlitum con-
suetudinem, Numinisque cubi-
le, perdidit. Jam enim, ah, jam
illas frustra speratas nuptias, de
rogis Inferis succensa Fax, in-
choavit; nunquam absolutura!

121. Sensit me tristiorem
Versius, itaque de severitate, in
meliorem frontem traductu-
rus;

rus; Fortaſſis(inquit)Irene, vel ad ultimum fulgurantis gladii momentum, reſipuit: ac cœlo non penitùs excidit! Subjecit deinde, alias ex aliis, hiſtorias atque fabulas, narratione curioſâ: donec, deficiente die pariter & materie, Locum quendam attingimus, quem, *Clerocómum*, dicebant appellari. Hunc ego, ſi domuum platearumque cultum in conſilium advocaſſem; nullô nec ſenatusconſultô, nec plebiſcitô potuiſſem inter *Vrbes* recipere: niſi ſupra ſummam Templi Aram inveniſſem, grandibus inſcriptas characteribus, haſce voces:

CLEROCOMUM
URBS.

Quam ſcriptori ſollicitudlnem dictavit (ut videtur) Timor; ne Oppidi ſpeciem peregrinis non præberet: propterea, quòd immu-

munitum effet *Clerocómum*, ac fine murorum cingulo, diffipatis hinc indè ædificiis, inordinatius. Urbecula cæteroquin, antiquitate commendata, fed incolarum auxéfi commendatior&folo loci fitu nō inamæna.

Biduum illic morati, cùm meridiem placidiffimum effemus nacti; Effæô Carectano, amico vetere, nos comitante, bonâ Effæarchi veniâ, Aquilonum ulteriora petimus.

122. Banidis primùm ripas ftringebamus. illic, trans amnē, montium videmus frequentiā, collibus (velut ajebant) argenti fertilibus, fufpenfam. Nec his contenta donis terræ bonitas (inquit Carectanus) etiam lapides fubminiftrat, hinc inde erutos; quos, fi dexteritate quadam artis, accolis notiffimâ, perfringas: videas, gemmarum in-

intra se quasi fœturam alere.

Certè solerter excussa saxorum intestina, varii coloris & formę lapillos effundunt, multiplici politos angulorũ splendore: sicut nos ipsi non semel aspeximus. Nec tamen tanti occultatrix boni materies, à vulgata ferè silicum forma scabritiéque diffidet. hinc, ignotæ opulentiæ facili contemptu, sine discrimine calcantur: pede rusticô preciosum à vili non distinguente. Nec infrequenter pastor, in aberrantem à collibus illis buculam, deficiente baculo, saxum vindice jactu torquet; cujus pretium armenta tota nõ redimerent. Creditum est, Ætatibus aureis illic cœlum grandinâsse; cùm illud adhuc sævitiæ ignarum, nesciret, nisi gemmâ irasci, aut, in margaritas duratâ pluviâ, excandescere.

123. Adoratô loci geniô, per camporum obliquum, in vallē quampiam tendimus, dextrorſum frutice, ſiniſtrâ ſylvis prætenſam. cæterùm ipſa, paſſuum ferè non ampliùs 50. in latitudinem extenſa; variorum ante nos florum ſpectaculum, longiſſimô tractu, expanderat: certantibus cum virore gramineo germinum aliorum picturis. Ibi, ſive itineris captus gratiâ, ſive quadam, (ut ſoleo) facilitate ſuſcitatus extemporali, flagitanti Verſio Itineris Icarienſis Commentariolum ſum pollicitus. cujus illi fidem exſolvo etiam tunc, cùm ille neſcit accipere.

124. Porrò veſpere, vallibus & ſylvis evolutos, malum nos omen excipit, Patibulum, cum appendice ſurunculorum geminâ, ſolis adhuc oſſibus ſuperſtitum. Cadaverum enim reli-

quum æther, aërque, & corvus, & longa dies, consumpserant.

Mox urbecula præstò est, Icariæ Septentrionalis ultima, *Cetamnum* nomine.

Hujus ante mœnia, relictô ludô, sexûs utriusq; pueritia in nostrum se occursum effuderat: porrectisque; quas basiô prælibaverant, dexteris, adventum nobis syncerissima simplicitate gratulabantur. læti omnes, & alacres; ac (quod præcipuè sum demiratus) ad unum omnes Niveô capillorum candore spectabiles. Crederes, illos, nisi lacte, nec pasci solere, nec lavari.

125. Cæterum noctem insequentem, ac posterum deinde biduum, apud Druidam exegimus, Maximum nomine, cognomentô Coracæum, in Pelicani Lycéo, veterem meum insignémque commilitonem.

Au-

Audeo testari; Neque plus, in ullo viro, maturæ humanitatis unquam sensisse me; neque efficaciora, ad ordinis illius exemplum, miracula cõcepisse. Nam & mensam ponebat, omni conditam hospitalitatis pipere saporéque: & mensæ structricem illic vidi nullam.

126. Promus condus simul, & coquus, & sector, & omnia, Coracæi frater erat, ingenuæ juventutis, frontísque homo: sermonum æquè ac ciborũ artifex, planè tempestivus atque gratus. Ac præter hæc Pictor: non ex illis, qui ad trivia sedentes & angiportus, pro quovis teruntio quemvis colorem miscent, chartarum miseriîs illudentes. Vidi illic Dandiferni (id illi juveni nominis erat) felici manu expositam. Coracæi germani, parentúmq; effigies:

necnon Cantabricum archistrategum, publicâ nuper apotheôsi Divîs adnumeratum: labiîs sic in sermonem, & oculîs in obtutum flexis, ut Coracæo, quoties contrà aspiceret, nictu vocéque dicere videretur; *Sequere me!* Supra hanc tabellam & *Christum* observavi, jam pati exorsum, &, nisi fallor, inter oleas sanguine madentem.

127. Hîc ego, tot pietatis illecebris planè captus; Urinam (exclamo) ò utinam! mi Coracæe, exemplo tuô, tuíq; fratris, omnes viverent ubiq; Druidæ, Druidarúmque asseclæ! Quantò sanctiùs à penicillis ad culinarum curas, quam à colo, quasillísque itur?

Finge enim', & da; Druidas, plerosque innocentes atque castos! At hodie suspicio nequam est: &, multis exorbitantium do-

docta maculis, vulgaris opinio, cœlibatum hunc Flaminum toties vix putat esse purum, quoties cum Muliere fuerit. Sint ergò, sint illi, qui videri volunt; ac nempe etiam solitudine continentes Druidæ! habeant unico notam sexui domum, si optimam volunt famam! Credere tandem aliquando discant, non hæresis tantùm, sed multò magis, sacrorum commerciô illis sociata plebs, ac vicinia; Peragi solere Christiana Sacra, etiam sinè Lectisterniis: & decenter obiri Stolæ munia, tametsi ædibus totis stolata nulla sit.

Sufficiant cæremoniis Infulæ. quid Vittis opus & vittatis? alioquin etiam illa, quæ sanè Materfamilias tantùm est, neque ultra titulum istum transgreditur, interdum imminuta credetur; ac, sceleratis suspicio-

nibus, videbitur totius Nominis solum dimidium retinere: ut jam, de magnâ Matrefamilias, sola Mater supersit.

128. Die tertiô, omni penitùs Icariâ egressi, ad Montes festinabamus, quos *ALPES* vocant *PITYNIAS*.

Illic (inquit Versius) vitrorum frequens est & artificiosa coquina. Tum deinde, loci summo in vertice, miraculum ingens; unô ex montis tractu quatuor, in totidem Orbis partes, flumina, suis de fontibus enata, ad Orientem quippe Gerasi, ad Occiduum Solem Oemnusi scatent, Adversùm Septentriones Lasa, contra Meridiem Banis (cognomentô Major) celebribus mox, & mundo notîs alveîs, decurrunt.

Oculorum oblectamentum adjuvat sitûs altitudo. nam quà mon-

montosiores surgunt Alpes, ingens Lithodiæ regionis, ac peramplum, theatrum aperitur. Hujus ad mentionē cùm oculos excitari meos Versius sensisset; Quid videre vis, (inquit) Ilibesse, quas intrare non licet, Terras? Si verò pedibus etiam tuis tam preciosa est Lithodia: en, jam nunc in finibus stamus. Hac, si id satìs non est, etiam oculus & despectus ad Cannas usq; patet, purgatiore præsertim cœlô. Ad quas (inquam ego) Cannas? mi Versi. Et ille; Ad istas, subjicit, nō Appulas, sed Lithodicas: Romanâ nuper clade famosam terræ plagam, quippe *Neachille* victô, victore *Alaricô*. Is campus, tot funerum conscius & vorax; octodecim ab hoc loco leucîs, ac propemodū ampliùs, abjunctus tamē conspicuas suæ Pilsiæ turres hucusq; ostentat.

Erant hæc omnia dicta Versi, curiositatis nostræ totidem calcaria. Jámque, frustra demonente comite, in equis eramus, Carectanô præcurrente; Jam Arcem præterieramus, à Pityniis Alpibus vix quintô dissitâ lapide, cui ab Aspero Culmine nomen est: cùm ecce, incogitantibus omnibus, Coracæi festinatæ litteræ afferuntur; si salvi esse cuperemus, receptui signum daremus. A tergo quidem Leontarchiam omnem, ad Icariam usque, ab *Alarico* vastari: à fronte verò, Pityniis montibus assultare, multô rebellem equite, regulum Mont-amnanum. Hunc nostrâ compertâ viciniâ, talentum Atticũ in capita singula depactum; siquis nos indagatos ausus esset intercipere.

129. Nos, quibus anima supervacuis oculorum experimen-

mentis, charior esse debuit; agnitô periculô, cursum inhibemus Expensô deinde consiliô, ab Arcto ad Orientem pedestres, ac nonnihil transformatô vestium habitu, contendimus; ut quàm tutissimè persequentem falleremus.

Jámque in relictos Icariæ fines sensim redibamus, diversissimô tamen, & plerumque deviô tramite: cùm repentè, sub meridiem nigratô cœlo, immugire nubes incipiunt; ac nos, atrocioris mali metu, terror sub tecta proxima compellit. Ibi Versius, (nimius promissorum exactor) vix aliquantùm denique mitigatis tonitruis, tempestatúmque pace redditâ; poscere me rursus instituit, Tiberiani Fulminis historiam. hanc enim me pollicitum olim, in Sebasteno itinere; vix cõmodiùs

unquam, nisi hoc ipso temporis, expediturum.

Ego iterum iterúmque tergiversatus, dilationis ac moræ gratiam peto. Opus esse mente, sensibúsque collectioribus: terrore fulgurum ac tempestatum tam recentî, nec memoriam satìs in fide, nec linguam in obsequio stare. Daturum me tamen operam: ut Tiberianum hoc incommodum, me referente, priùs disceret; quàm ad canos Corvi pervenirent. nam hi tum casù, per aëris obliqua, prætervolabant.

Incertum est, perceperítne Versius promissi mei conditiones? an verò perceptas, industriè aliorsum acutéq; detorserit? Certè, diversissimâ non multò pòst interpretatione, in Crastinum exegit: ne frustra ego nominâsse Corvos viderer.

130. Et jam, interpositâ nocte, cum malignæ quietis exiguâ usurâ, viam pridiè susceptã urgebamus; insidiis persequentium utcunq; subducti. Comes erat, Longinus, Carectani frater. nam Carectanus ipse, negotiis avocantibus, Clerocómum redierat.

Quidquid hic scripsero, ad viam illam commendandam; inferius erit meritis. Nã & matutinum erat Sudum: & Auroræ primùm versicolores reliquiæ; mox, succedente jubare, Solaris nitor, cum roscido camporum virore, pictísque floribus, colludere videbatur. Lucidæ roris guttulæ, de summis pendentes herbis atque gramine, tamdiu scintillabant; donec, cœlestibus excitatæ radiis cicadæ, decutere gratiosum laticem crebró saltu, tremulóq; alarum succussu,

ſunt auſæ. Dextrà, perpetuum ſylvarum vernantiū jugum excurrebat. Siniſtrà, placidiſſimis lapſibus Banis amnis occurrebat; ripis utrimq; densâ alnorum ſerie coronatis. Ac præter diurnæ ſerenitatis temperamentum, etiam aquarum propinquitas, ventuli blandientis clementiam adjuvabat.

131. Ita, dulciſſimâ ſermonum alternatione, Cineramniam denique perventum eſt, cognomentô Sclavonicam. Cujus in ſummo montis ſaxoſi vertice, nihil oppidi, nihil arcis supereſt, hoſtium temporúmque injuriis; prętet Turrim unam, pæne nubibus inſertam, & opere præmunitam: cæterùm, tectô deficiente, omnibus cœli furiis expoſitam. Veteris, neſcio cujus Barbariei, hanc ajebant, olim Cuſtodiam & Carceres fuiſſe.

fun-

fundum omni ferpentum ac ceraftarum pefte inundare; ut facilè vel Latomiis locum illũ, vel Sicilienfi Tartaro, tyrannorum rabies anteferret.

Inferiùs, ad fcopulofi jugi radices, infulam Banis amnis molitur. Ac perficeret etiam; nifi commodùm, in ipfo ferè duorum finuum coitu, tumulus ingens atq; faxeus, naturæ interjectus invidiâ, impedimentum, atque ifthmon poneret.

132. Humanitate Druidæ illius loci, viri optimi, hofpitaliter excepti, unum moleftè ferebamus; quòd, accitus ex proximo, parvulus agreftis fupervenerat. Is, linteolô præcinctus mucofiffimô (tanquam hoftilî quodã adversùs delicias thorace, fe convivis immifcuerat: & fercula fcyphófq;, fluẽte ofculô contaminabat. Nec contentus

immodestâ simplicitate; dissimulantibus cæteris, nariū suarum impudentiam etiam vino subinde demergebat: cùm in vitrum omne proboscidem suã, fæculentô stillicidiô tabidam, immitteret. Ac nos quidem tam incivilem hospitalis Genij injuriam, parvulo cerebello condonabamus; risibus offensione dissimulatâ.

133. Sed non eâdem facilitate Longinus usus, de pera sua pyxidem, formâ cylindricâ, produxit: insertóque in stanneum operculum, circumquaque perforatum, flosculô (nescio quo) minutissimô, olfaciendum puerulo porrexit. Hinc, inquit, hinc, mi Narcissule, strenuè trahe! quantumcunque nasulus tuus suavitatum capit.

Applicuit illicò naribus florem & cylindrum, capax talium im-

imperiorum puer; nec minùs odorari aſſuetus, quàm bibere: retractóq; ſemel, iterúmque, ac tertiùm, ad aliquot paſſus ſpiritu, odorum meatu breve Cerebrum, & caput omne, ad auriculas uſq; verticémq; implevit, ſtatímq; pulveris acerrimi impatiens (erat enim contuſum, in pyxide, Tabacci folium) ſexcentis ſternutationibus non tantùm naſi totam cloacam, ſed propemodum pulmones, & cum hepate animam, ejecit.

Infra menſam tandem elapſus, cum ejulatu multo, Longiníq; triumphali cachinnô, per gradus in plateas ſe dejecit. Quē eminus de feneſtra Longinus inſecutus, revocare inſtitit, mōſtratóque iterum Tabaccô; Huc ades, huc (inquit) ô, mi Narciſſule! Novus flos, nova pyxis, odores noviſſimi!

Sed puer (nondum etiam detersis genis & naribus) conspectâ pestilentis nidoris thecâ, fugere per oppidum cum clamore, pæne conclamatô, cœpit; haud secùs, ac si patriæ cervicibus *Alarici* victor Gladius, & horrida castra, imminerent.

Atque ille quidem, eô ex tempore, ætatem agit, non Florum modò, sed & vini abstemiam, æquali planéque internecinô vitrorum & pyxidum odiô. Nos autem, relictis Druidâ & Longinô, Cineramniâ digredimur; Icariæ, quà Marcomanniæ sylvis succumbit, terminos petentes.

134. Ante vesperam, cùm iterum irasci cœlum, sed leviter, cœpisset: iterum Versius poscere Tiberiani fulminis narrationem est ausus. Expletum esse Corvinum illud Crastinum;

num; inſtaréque Promiſſorum aliquando fidem Hodiernam.

Ego, laſſitudinem cauſſatus; quietem proximam, tanquàm narrationibuś accommodatiorem, illi ſpopondi, verborum veritatíſque indiſſolubili fœdere.

Simul extricatus ad veſperum ſalebroſis ſylvis, ſtantem eminus, medió in lacu, Urbem intueor. Hæc hortenſium arborum (namque tunc veris medium erat) flore folióque hilariter renidebat. Jam dudum nihil pari ad aſpectum amœnitate videram. Igitur Verſium interrogo, de nomine. Ille, tum ſe dixit dicturum; cùm ego Fulmen Tiberianum narrâſſem.

Nihil tamen ego moratus reſponſionis ingratum ſuſpendium, audaci nomenclaturâ bis

ap-

appellavi. nam & Mimo-Venetias, & Interſtagniam, ſalutavi. Nec in poſtremo deceptus ſum.

135. Cùm ex obvio quodam Cauſſidico, palliatô ac meditabundo, ſciſcitarer; Idne oppidum, adhuc in finibus *ICARIÆ* hæreret? an ad Marcomannos potiùs, aut Lithodiæ Heptarchum, vectigalia deferret? interrogavit ille me invicem; Quam ego Terrarum, *ICARIÆ* appellatione, complecterer?

Sanè! (inquam ego) illam univerſam, cui ante hos annos, priusquam Aquilis inſultaret, *DICI-FERRVS* regulus jura dedit. Quare? (inquit ille) quibus legibus nunc tibi ex *DICIFERRO* factus eſt *ICARVS*? & *ALPATINA* tellus in *ICARIAM* migravit?

Hic

Hic ego, importuno ſciſcitatori, cùm imperare reſpondendi provinciam non poſſem; hos (ex Naſone partim natos) verſiculos, concordiæ cauſsâ, objeci: ut ſciret, cur *ICARIAM* eſſem dicere auſus Terram, nullo cæteroqui mari, ſed ſolis Lacubus, incinctam? Igitur; Audi me (dixi) & abi!

Dum petit infirmîs nimiùm ſublimia pennîs
ICARVS, Icarias nomine ſignat Aquas.
Dum petit infidîs nimis alta Palatia Signîs
Regulus, ICARIAM ex omine fecit Humum.

136. Hæc dixi, Veritatis impatienti, & iccircò caput quaſſanti. protinúsq; *INTER-STAGNIAM* intravi, receptus diverſoriô Miſonis cujusdam, cogno-

gnomentô Largi, Essæarchorum humanissimi.

Nocte jam increbescente; in domum quandam, à Synandróne propiùs abjunctam, deducimur: & in thalamo, qui Lacui imminebat, assignatis distinctim lectulis, collocamur.

Vix Mison hospes (&, urbanitatis causâ, tunc ductor) abierat: cùm repentè, ferocioris Boreæ flatibus, cubiculi vitrea fenestella laxatur; ac simul lychnus, quem super mensulã Mison reliquerat (tenebrarum solatium) extinguitur. Prospicio ego, quantùm noctis densitas indulgebat, per apertum ac patens cubiculi spatium: &, ad idem spectaculũ accitô Versio, alternis demonstro procùl discurrentia per opacas nubes fulgura, flammásque, eâ Cœli parte, quâ Lithodiæ regionibus in-

incumbit. Audiebamus interim & murmura intonantis aëris, tanquam ex remoto ſeveriorem tempeſtatem meditantis. Quæ priùs, per cœnæ colloquium, domúſque clauſæ ſolitudinem inobſervata, nunc deprehendebamus: jam utiq; clariùs ſeſe prodentibus fulgetris atque tonitruis, poſt ſubtractas lucernas, & noctem altiore ſilentiô compoſitam.

137. Tunc Verſius; Quid ergò? inquit: Somnum, Ilibeſſe, ſuades, in hoc ſiderum tam ancipiti ſtatu? qui, ſi propiùs ſe nobis admoverit: cùm undique procellæ, jactáq; fulmina, noſtras aures circumſonabunt; profligatô ſopore, vigiliam & pervigilium, etiam nolentibus, imperabit. Nec enim placidè quietem admittimus, inquietis elementis.

Quid-

Quidni igitur, consiliô necessitatem antevertimus? & in scabellis his, quæ pede tangimus, considentes, utiliter sermocinamur? hôc utiq; tempore, cæteroquin gratìs perituró; si deside in lectulis exspectatione moraremur?

Ut quidem tu voles (infero ego.) Libenter enim, recta monentibus, pareo. Sed, de scabellis, quod dictas, non placet: quia, sessione tam humili divaricatum corpus, periculosiùs, quàm alio ullo situ, quiescit. Potiùs, si tam longus es, mi Versi; ad laxati parietis foramen uterque stantes, fabulemur. Cui ille; Scabellum igitur istud (infit) quod coxis volebam, nunc pedum plantis supponam; ut minùs brevis stem: & secundùm te, cœli faciem contemplans, quid de fulmine

Tibe-

Tiberiano narres, audiam. Toties enim, toties, Ilibesse, promissa; tandem vel semel exsolvi, jus est. Ne fortè, si fallere perseveres, aliquod etiam pro te Fulmen inter nubila suspensum, discurrat: &, cùm minimè formidabis, erumpat!

In quæ verba ego; Si Pro me (ajo) salva res est! modó ne Contra me! Nam & Symeonem novimus, Cilicem Stylitam, de cœlo tactum, ac cœlô receptũ: & Tulli contrà Hostilii ferociam, Anastasiiq; Cæsaris impietatem ictam, Tartaro cecidisse.

Sed, absint hodie mala verba! Hoc (nisi fallor) aëris turbamentum, Lithodiæ tractibus se coërcens, hac nocte nequaquam Interstagniam attinget!

Hæc tunc ego solatii causâ dixi nec fefelli præsagiô. Namq; nubes, trans Pitynias Alpes in-

di-

dignatione consumptâ, adhuc ante noctis medium innoxiè consederunt.

Verum hæc deinceps acta sunt. Ego inter hæc, *TIBERIANI FVLMINIS* historiam, non tam Versio, quàm toties iteratæ pollicitationi responsurus, itâ sum exorsus;

138. Sive, quæ dicam, audias tantum, Versi: sive, (quod suspicari pronum est) in alienas etiam aures narratione transfundas: nullius vereor conscientiam, aut etiam tacitum murmur, figmenti mihi crimen imponentis, quia scio, me vera loqui. Et multos hodiéque, per tot interea clades ac pericula deductus spiritus, inter vivos alit: quos tunc isti, quod dicam, malo præsentes, nunc tenax memoria mihi testes conciliat. Illi me fortassis non pau-

co-

corum; ego illos invicem multorum admonebo; quibus, ad recentis casûs hiſtoriam examinatis, utrimque exclamabimus! Hæc ipſa, nec alia,

Hæc facies Trojæ, cùm caperetur,
erat!

139. Ergô ades animis! *ANNVS* ibat à ſexto decimo ſæculo, Viceſimus Quartus: anni tempus formoſiſſimum, Majus menſis: Octavus ante Idus (ſed Idibus omnibus inauſpicatior) ac præterea Mercurii nomine ſignatus dies. Hic nobis de cœlo læva omnia apportâſſet; niſi commodum Nuntius melior, *MICHAEL*, Mercurio talaria, Luciferóque criſtas defregiſſet: nam *MICHAELIS*, in Gargáno apparentis, illâ luce, annua ſollemnia Romanis ſacris recolebantur.

140. Jam

140. Jam Sol cœli medio, meridiésq; Soli decedebat. Jam hora pomeridiana, quam nostræ gentes Primam numerant, decursa, in secundam abibat. Aër, è serenissimo, sensim obscurior, calore tabid⁹, & marcidô squallore piger. fluebant acidi plerisque per frontem sudoris rivi: fastidiúmq; animis insinuabatur, pæne futurorum metuens; ac tale prorsus, quale sentiunt, qui dubitant; An vivere debeant? Ità tristior sanguis omnium venas infecerat. Deambulabam ego tunc in Pomario Synandrónis illius, quē scis, Versi, *Paulineum* appellari. Ibi, ne somni pigritiâ, pretium temporis interverterem; in manibus Papinium Statiū (adhuc tenacissimè recordor) circumferebam. Volvo Poëtam, liberrimô spiritu furentem [illegible] jentis

tis penéq; philoſophicis inceſſibus in ſtudia intentus.

Ad horti latus, ac ſub porticu, amiciſſimus Pollus Magnentius, & Agricolaus Carbo; poſt hos Adeodatus Pemmaturgus & Arcondus Acronius, ac, ſiqui alii ſupervenerant, Muſas exercebant.

171. Dum illi loquuntur, dum ego lego; ſenſim ventorum in turribus gnomones, & tectorum apluſtria inquietantur; ac nunc in hanc converſa, nunc illam in plagam, ambigunt, quã auram ſequantur? Surgente tractim flatu, gramina curvantur, flores inclinantur, arborum folia colliduntur, propiùs terram hirundines (præſagô cum ſilentiô) volitant.

Aſcendo mox Paulinéi ſupremum ædificium, per interiorem cochleam; unde de ſug-

grundiis in remota prospectus est. animadverto; Eurum, præter mensis legem, procellas suscitare.

Nubes ab Oriente, magnis expeditionibus, non secùs, atq; in prælium aciémq; assurgunt, & tanquam ante prima signa collocatæ, vaporum variæ species ac monstra. Tigrides dicères, aut informes Ursos, aut patente rictu, minacibusque unguibus Leones, aut Elephantorum exoticas vastitates; aut Montium petrarumque moles ambulantes.

Et anteriora quidem aspexisses, velut in grandes lanarum aggeres convoluta, nitidiùs re micare, nubila autem remotiora, tectis maléque dissimulatis flammis livescere: remo[illegible] verò luridâ quadam ferrugine per preceps abrumpi, & in op[illegible] ciss[illegible]

ciſſimam noctem ſpiſſari.

Ecce! etiam, quà horizontis extremo limbo cœli pondus incumbit, nebularum, pluviîs gravium, maculoſi tractus, & floccidæ lineæ, quaſi de carcheſiis navium rudentes, collectim deſcendunt! ac ſpatioſò per omnē aëris regionem ambitu pendentes, nimborum ruinam minantur.

142. Exclamo ſtatim; Tempeſtatem adverſam, nec perfunctoriam, impendére! nondum credentibus Magnentio Carbonéque, qui ſimul aſcenderant. Mox in hortum nihilominus regredior: &, quia ſiccus adhuc aër erat, nihilque nudis paginis nociturus; in Statii Sylvis, ſicuti cœperam, progredior. Progreditur & ventus interim, paullatim venienti propior, quàm, minanti Tunc jam ar-

buſcularum etiam capita inflectuntur: jam ex alto procùl, rari pulſus ac bombi, velut deſinentium alibi tonitruum reliquiæ, poſtremique caſus. Mox etiam mugitus fracti, raucique & crebri: tum & clarior meteororum confligentiũ comploſio. Paullò pòſt longior quædam atque productior, tanquam rotarum curulium in pavimentis altioribus, agitatio: primò quidem æquabili planóque & inoffenſô ſonitûs tractu; deinde nonnunquam, velut ad obſtaculum, reſultante, frequentérque & cum indignatione, repercuſſô: nunc in profunda deſcendente, nunc altiùs atque altiùs inſurgente reboatu. donec ad ultimum, tonitruum apertus furor, ſinè ambagibus, & venire ſe faſſus eſt, & adeſſe.

143. Tunc jam Tritonum in-
tur

urribus æterna inquies: & ven-
orum ex omni látere liberrima
iolentia; & hortorum arbo-
umque sæva concussio; & cir-
umjacentium Tiberiæ nemo-
um susurrus; & Bunadii flumi-
is iracundus tumultus; & val-
arum foriumq; ad postes suos
llisio, revolutióque; & pulve-
is, tanquam verriculô quodam
orrasi, glomeratio; sibilóque
ircuitu gyrati, in cœlum usq;,
urbines. Jam avium undequa-
ue concors fuga; jam corni-
um subtus tecta tristis colle-
tio; jam monedularum, ad la-
bula sua, mutuus hortatus, &
um clangore gratulante redi-
us, ac sub turres garrula irre-
tatio; jam apodum (miserri-
arum volucrum) in altissimo
ëre, vaga, populosáque seditio,
erpetuis stridoribus insani-
ns, & in seipsam, ac nunc ser-

vatis, nunc conturbatis ordinibus (velut inter prelia) rediens, jam omnium, quæ ad apricum ſiccabantur, ſollicita ſubductio, mortaliumque ſub tectis languida trepidatio.

Momentô, nubibus cœlum velatur, dies deletur, coruſcat æther; fulgetra nictant, nunc tenuioribus furtiviſque rimis, nunc apertiore hiatu. tum & procellis miſta tonitrua crebreſcunt: & in pomario, dum circumſpicio, relictus ego ſolus eram.

144. Trepidè recurrenti, ſollicitus in limine Theangelus occurrit, Vir, multô virtutum & litterarum cenſu æſtimandus, &, quem ipſa Bonitas videtur publico amori peperiſſe. Is, ubi me videt, & in manu Poëtam, jam ſæpiùs apud me deprehenſum; Rogo, inquit, mi

Ilibesse, dormiebas? an cum Papinio tuo insaniebas? qui Tubam siderum solus non audieris? Illicet! sinè mora! Séquere! nam, Tiberiæ malum imminere, vaticinantur; incertô quidem auctore, sed fortassis eventu non incertô. Quin potiùs igitur ad *MARIAM* (ut semper soles) confugimus?

Ego, qui jam sinè monitore profanam lectionem abruperam, & altera manu globulos precatorios volvebam; poëtam in angulum retrudo: præeuntem sequor, intérque mille fulgura, substillante tunc primùm nimbô, ad *Marianeum* pervenio.

Est hic locus (ut nôsti, Versi.) nonnullô spatio disjunctus à Paulinéo, ædificióq; illi, quod Tiberienses Parnassum nominant, extremo látere annexus. Ibi Parnassæorum precarium

est, quoties à ludis litterariis dies sollemnior interjungit.

Illic ego, & *Theangelus* meus, commitigando cœlo, comprecamur.

145 Paullò pòst, placatiori Numine, tumultus aërius languescit; non quidem cessante, sed mitiùs tamen sæviente tempestate. Nos itaque, quasi jam utcunque Maleam, aut Acroceraunia prætervecti; de genibus ad stationem redimus. *Superveniunt* egregiæ indolis juvenes duo, qui tum & ipsi Parnassum incolebant. quorum insignior, Agricolaus, cognomentô Cyonius, Et quid vos? inquit. An cum simplicissimis illis, ex antiquitate, timebatis; Ne fòrs cœlum rueret? Ecce, mox Apollo ridebit!

In quæ verba nos, nondum quidem hilaritudinem, sed jam ta-

tamen animum & alacritatem, recipimus. Et *Theangelus* quidem, Marianéo adornando intentus, rerum suarũ satagebat.

Cyonius, in manum sumptô penicillô, pingere orditur argumentum, illis aptum Sollemnibus; quæ nos Theophoria nominamus. Ego autem, quoniam Pentecostes instabant Sacra annua; mecum ipse Carmen, quod sub illius diei diluculum commentatus eram, recordor: & in palimpsestum (non sinè pectoris tamen palpitatione) refero. In membranis hodieq;, tanquam magni Eventûs mnemosynon, illud Poëma retineo: nec minùs vividè in memoria, cujus ideo primos tibi versus recitabo, Versi. Cras autem etiam è pugillaribus repræsentabo: quò videas, me nec in mini-

mis Verum, hac narratione, præterire.

Recita, inquit Versius, quæso, recita; dumodo pòst ad Fulmen tuum, ex condicto, redeas.

Et ego; Ne dubita, inquam, mori malim, quàm, fide inexpletâ, somnum capere.

146. Igitur in illo tunc Tonitru totus eram, quod repentinò de cœlo sonitu, *tanquam spiritu vehementi*, totam Sionis domum concussit: cùm supra quidem Æther instreperet, infrà verò Duodecim-viri peregrinis linguis detonarent. Quo themate, quid commodiùs illi tunc horæ timoríque congrueret? Præsertim, retractantibus adhuc recentem, ac nondum planè sedatum tumultum, auribus. Erant autem hi Versus.

Clangit adhuc vetus, atq; animum
sonus ille recentem

Mugitûs ferit Æolii, quô Dîa Sio-
nis
Intremuêre juga, & pavidi tricli-
nia cœtûs.
Non equidem ad Catadupa fui; neq; gurgite Nilus
Vndisonante ferox, in me coeuntia junxit
Murmura: captivas sonitus tamen occupat aures,
Horrorum memores, & ab auribus influit ora.
Ante oculos volitant flammæ quoq; lucidaq; igne
Occursant capita, & bifida miracula linguæ:
Entheaq; ipsa Virûm me vis rapit. Ecce, frequenti
Mistus concilio, ac Duodenî parva Senatûs
Pars videor! nec jam esse meus. Quis flammea fulgor
Ora ferit? quæ fax oculos nova? purpura vultum?

Corpora quænam agiles levitas matura sub auras
Erigit, ac cœli propioribus admovet aulis?
I, procùl hinc, Natura! procul dementia Phœbi
Delphica, & effusô bacchata Mænades ore!
Nil hîc vel thyrsus, vel habet cortina. Tumescunt
Hæc, meliore Deô, præcordia. Cernitis, ecce,
Ingentes animos! inflataq; Numine corda,
Plusquam plebejô! Tonitru, quod ab Æthere lapsum est,
Nunc clausum intus habent; ac mox in Verba refundent,
Fulmineas ductura faces, domituraq; Cedros.
Sic olim abstrahitur, diversa in nubila, cœlum,
Cùm mistæ impellunt nebulæ: tum Eous in Austrum

Assur-

Assurgit fragor; Hesperium quatit
Arcticus Axem:
Consensu latè boat æther. Altius unum
Murmur in his furit, atq; ira supereminet. Vnum est,
Quod strepitu Solem suspendit, & ardua torquet
Sidera, mortalesq; arctat formidine Mentes.

147. Hæc tunc verissimè, cretatis in tabulis signabam: additurus pòst, quod reliquum erat; ac *PETRI* potentissimæ Concioni totam Tonitrûs similitudinem appliciturus, cùm inter hæc jam dudum Tiberiani furor aëris recrudescit: & instaurata nubium seditio tumultuatur.

Aliquot levia primùm, mox ponderosiora, tanquam irritati cœli signa, fremunt. Nubium furor interdum (velut follis aut

fornacibus,cohibitus æstus) indignante spiraculô luctatur; & erumpere, siquà via sit, gestit: mox, præter spem repressus, atrociùs intus, & cum insidiis, iras coquit. Nec fulgura, terribilésque luces desunt, & impetu vastô præcipitata *Pluvia.* Sentires; tam præconceptam rabiem, sinè grandi verbere non quieturam.

Tunc, imminentium pavidus Theangelus, ad me de *Marianéi* sacrario prorumpit: ac mutatâ aliud in consiliũ mente; Quid cessas? inquit, Ilibesse? non hîc tuta mora! revertamur in Paulineum! & quidem tempori; nisi cataclysmo reditum nostrum intercludi volumus. Non hoc tempus, poëticè furendi! Domum petamus! *Domus amica, Domus optima.*

Ego, qui jam stylum sepofueram;

ram; pro eo (incertùm, quo tunc ſpiritu?) penicillum inter tot fulgura terroréſque arripio: pingentémque Cyonium, juvare ordior. nec ulla laboris neceſſitas, nec ratio ſaltem id exigebat. Nihilominus mihi morem gero; lemnicoſque, rudiſſimâ Pallade, per chartam duco. Inſtat iterum mihi Theangelus. Ego inſtanti nego, me rediturum; niſi priùs ad manum ultimam perductis cœptis, nihil eſſe, nec ab imbribus, nec à tempeſtate, periculi. Cœlum, quod modò placari ſe paſſum eſſet, etiam denuò reconciliari poſſe: ac cætera, quæ cunctatores ſolent in excuſationem argumentari.

Nec æther interea tonare deſinit, nec ego demens pingere. qui, longè infra verborum robur timidus, oblitus non eram, quo-

quoties oculos novum fulgur perstringeret, otiosâ lævâ me signare, solitô Crucis ductu. Nec hoc sinè arcanæ divinationis impulsu; tam utique jam propinquâ calamitate.

148. Nunc, quæ percensebo, Versi; non possum dicendi celeritate, tantum in compendium colligere, quantum ipse casus fecit, nec tot tamque varios terrores queo, simul animo tuo producere; quot sensibus meis unicum temporis breviarium tunc objecit. Tamen, ut potero, exsequar.

Ecce! jam tertiùm me Theangelus meus (amicus prorsus ad aras, & ultrà fidus) sollicitat; Si salvus esse vellem, ne porrò cunctarer. quod si nollem; se, bonâ veniâ meâ, sinè me, in Paulinéum rediturum.

Cui ego; At per fidem (inquam)

quam) tuam, Theangele! dum hanc unicam deduco lineam, indulge! pòst, in mora non ero.

Nondum totum elocutus eram; cùm repentè plenissimô fulgure explicatus æther, simul intonat, simul flammas & fulmen, terribili fragoris præcipitiô, dejicit: ruente, tanquam per gradus & amfractus, stridulô densatóque tumultu. Sub unicum oculi nictum, omnia unà fiunt. Aër flagrat, nubes crepant & exonerantur: fenestræ clathriq;, & valvæ antrorsum; à tergo verò postes & januæ corruunt: pulvis densissimus omne Marianéum, fuligineâ nube, involvit. Simul ac semel, confusis conclamationibus, omnis vicinia, plateæque urbis turbantur: Tiberia, cum tot palatiis atque templis, &, Tellus ipsa, cum tot vastis molibus

libus atque montibus ſuccutitur, & intremiſcit. Unà furit, non qualis aliorum fulminum, conciſus ac brevis & in ſe citò reſtinctus; ſed immanis, & diuturnus, ſibiq; indulgens, ac, miſtus ſtridore, fremitus. Is, veluti ſubterraneis arctatus meatibus, & diſcurrens, iracundè mugit, ac remugit; clamoſô ſibilòque ſonitûs ambitu vel exitum quærens, vel naturæ ruinam minitans. Jam & fœtor (ſulphureo perſimilis) ingens; & aduſtorum è vicino reſpirans nidor; ac tectorum imbricumque labentium eminus cominusque colliſio: Civiumque, ex omni Tiberia concurſantium, luctuoſa ſeditio: nec rerum alia, quam Orbis, in Caſum euntis, atrociſſima imago.

149. Nos quatuor (tot enim in Marianéo collecti ſtabamus) jam

jam pridem, ad cœleſtis flammæ delapſum, extra nos poſiti, Cruce frontes ac pectora ſignamus. Simul Numen inclamamus, ac, Superûm fidem! & ſiquid præterea aliud conſternatis mentibus, in arcto concluſa Neceſſitas, dictat. Penicillos colorésque projicimus: atque unô trans omnia ſcamna ſaltu, auferimur. Illic, volantibus circumquaque feneſtrarum rotularumque fragmentis, exitum quærimus: nec tamen invenimus. Colliſis igitur inter nos, in tam ſpiſſa caligine, corporibus capitibuſque, deſperabundi rogabamus; Quis noſtrûm de cœlo tactus eſſet? cùm interim, etiã de ſeipſo, nemo certus eſſet.

Ego tandem, magìs ac magìs cinereâ caligine increbeſcente, pæne per errorem ad Marianéi exitum pervenio. Ibi quoniam di-

discissæ cum cardine fores, nul-
lam egressuro remoram facie-
bant; ratus, ulteriùs distare li-
men, in ambulacrum provolo,
quod Parnasso toti (sicut scis)
prætenditur decidissémque,
propter crepidinis nimiam hu-
militatem, præceps, in subje-
ctum impluvium; nisi, Numi-
nis impulsu, mox insecutus à
tergo Theangelus, laciniæ meę
manum injecisset. Is me, certum
in exitium ruentem, violenter
invitúmque retinens; Et quid
ages, inquit, Ilibesse? Non hoc
fugę tempꝰ! nec ista fugiēti via!

150. Ego durante etiamnum
prolixô *Fulminis* fragore, terræ-
que tremiscentis horribili re-
boatu; me manibus illius, quan-
tum possum, eripio, negóque;
In hoc tam diro loco, residui
spiritûs ac vitæ reliquias proje-
cturum, Idem Cyonius, &, qui
co-

comes illi venerat, affirmant: e-
greſſum è Parnaſſo urgẽt, prius-
quam tectorum, trabiumque &
totius molis, ruinâ ſepeliantur.
ſed omnes tres uno effuſiſſimó-
que amplexu ſtringẽs Theange-
lus, Hactenus ô ſaltem! inquit;
&, Gradum ſiſtite! Aut neſcitis,
in propylæo vos ſtare, caſuique,
ſi pergatis, proximós? Differa-
mus! tantiſper ſaltem, dum
conſtet; quorſum calamitas e-
rumpat? &, dum ira cœli certô
in capite deſeviat. Adhuc enim,
ut auditis, fulmen ſtridet, urbs
vacillat, ac ruina ruinam tru-
dit: & (niſi nares fallit ſulphu-
ris iſte fœtor) in Parnaſſi con-
clavibus infimis, per quæ trans-
eundum vobis eſt, *Fulmen* diſ-
currit. hoc obviantes crudeliter
involvet, & vorabit.

Perſuaſit, non magìs rationi-
bus, quàm manibus, & gravio-

rum incussô metu. Jámque sensim, in se residente terrâ, fragor hypogæus remitti, fulminisque stridor obmutescere, ac parciùs motari tecta, tandemq; ac vix tandem, etiam conquiescere cœperant. Nec jam alius notabilior in urbe sonitus restabat, quàm ęris Campani; de templis omnibus, horridô consensu concrepantis. Nos igitur, à Theangelo manumissi; eódem duce, de Marianéo femineces erumpimus. &, quia caligine modò clausus aër, nunc deniq;, dissipatô nonnihil pulvere, lucem receperat: distinctiùs singula lustramus. *Fulminis* maximè vestigia stricturasq; indagamus.

151. Atque in Parnasso quidem ipso, quidquid valvarum, forium, fenestrarum, fornaciumque steterat, id nunc totum jacebat. Egressis vestibulô, strages

ges, ex utroq; latere, tegularum ingens ac lata, sinè numero, objicitur, quas de propylæo, de proximis ædificiis, de turri, de templo, déque contectis porticibus, violentia dejecerat. Aspicimus, vix tandem erectis in altum oculis, Synandrónis totam molem: &, turpi quasi calvitiô tecta omnia multata, miseramur. Jamq; ad Paulineum perveneramus. Illic in ipso aditu, quaque in plateam exitus patet, omnis generis ætatisque & sexûs turbam deprehendimus, cinere, tanqnam scobe, infusam: & pallore, luridóque vultu exanimem. Hi omnes, mistis questui lacrymis, & confusis gemitu vocibus interrogabant; *Ubi Fulmen* esset? &, An Urbi finis immineret?

152. Nobis, vicissim interrogare parantibus, in limine Ja-

nitor occurrit. nam januã ipſam jam Tonitru reſeraverat. Is æquè mortuus, umbroſis & ſemiſepultis verbis interrogat; An integri veniamus? Oſtendit deinde ſpeluncæ ſuæ pæne nihil integrum: excuſſa ſpecularia, ſtratumq; hyemis ſolatium, fornacem. Mox, per Synandronis omnes ambulationes, infrà ſupráque, convulſos impetu poſtes atque portas; emotos junĉturis ſuis clathros; diſſipatas intus foriſque valvas; arietatas & in lapſum fatiſcentes parietinas; ſemiruta domûs latera; grandésq; diſſilientium murorum fiſſuras. Tum, in averſiſſimo Synandronis receſſu, prodigium grande, parietem monſtrat, craſſitudine non vulgari compaĉtum: in quo, tanquam tormenti militaris exonerati veſtigium, Foramen ingens, ſi-
ne

nè globo, apparebat. Quærimus etiam nos hîc, *ubi* igitur *Fulmen* esset? ac, nemine respondente, mox indè digressi, in Sophronium incidimus, Synandronis illius Essæarchum.

153. Is, sudore fluens, & sollicitudine fatigatus, ubi me, cũ Theangelo, vidit: sublatis ad cœlum palmis; Superi, inquit, me tamen nondum omninò repudiârunt! utique, posteaquam in tot vota, vestris pro capitibus concepta, utrumque incolumem recipio. Quàm anxiè metuebam, qui vos abesse sciebam; ne aut ambo in Marianéo, aut alteruter, occubuissetis? Salvete igitur, ô chara mihi pectora! Sed *ubi* (inquit) *Fulmen* est? Nec nos quidem (inquam ego) scimus: tametsi & vidimus, & sensimus, ac vix etiam nunc evasimus. Narramus interim,

 omne

omne periculum: atque in medium illô receptô, per aversam Synandronis porticum, in hortum pervenímus. Ibi tecti, quod ambulacro impositum est, vastam *ab ipso culmine* partem, cum tegulis juncturísque suis destrictam, aspicimus: ac mox, in Pomarium deflexis oculis, terræ spatium ingens egestum, nec multò pòst, tricenis ferè passibus interpositis, fossam aliam priori simillimam. Nec adhuc apparebat, quæ caussa, vel quæ tam ingens talpa, tantos cumulos egessisset? donec ad locum progressi sumus eum, cui *Marianeum* desuper imminet. Ab illo, sextò vix passu, scrobs alia sese humò ejecerat; & in hac, solidæ rupis pars vasta, librarum plusquam nonaginta.

Saxum hoc, obscœnâ tetrum fuligine, nitríque ac sulphuris odore

odore grave, velut epostracismi quodam ludô, ternis saltibus exultans, tandem, tantillô nostris à capitibus intervallô, proximè *Mariaueum*, se demiserat. Et istud demum aliquid loqui compertius videbatur. Ergò omnes exclamamus, unanimî divinatione; Aut *hîc Fulmen* est, aut Fulminis aliqua conscientia.

154. Sed nec istâ adhuc acu verum tangebamus. Ejicimur statim, novâ largáq; pluviâ, de hortensi spectaculo. Jámq; in peristylium redeuntibus, nuntius præstò est, à conjectura nostra diversa referens. nam, quod nos *Fulmen* in Synandrone quæreremus, id in Parthenonem proximè adsitum incidisse.

Secundùm quæ Jonantus Lupius, seniorum optimus, Essæarchi imperiô, mox in Par-

thenonem festinat: me socium comitémque secum trahit, repugnare non ausum. Adhuc, dum imus, sua fata Tempestas peragebat; &,nubibus nubes ferientibus, aër omnis tumultu miscebatur. Simulac in Parthenonem (sic officiô Lupii exigente) pervénimus, ad scalarum principium nobis maxima Vestalis præstò est; &, lamentô muliebriter infractô; O mei, inquit, ô vicini! *Vbi*, quæso, *Fulmen* est? nam ab illo funditùs interiimus! Nec annona nobis, neque spiritus superest!

Haud aliter erat, ac dixerat. Verè namque è fundamentis concussus fundus, hiantes parietes, convulsæ valvæ, diffractæ portæ, lacerata tecta, & in ruinam pronæ ædiculæ; Virginès ipsæ, metu dissipatæ; nonnullæ lapidum jactu læsæ, hàc

illàc

illàc incertæ ferebantur. Ploratus fœminei, Locum omnem, tanquam Trojam iterum captivam, impleverant.

155. Una præcipuè (quam deinde comperi Floroniam appellari) super lectulum decumbens, læsîs manibus, atque corpore capitéq; fœdis vulneribus deformatô, vitam jam pæne fugientem ægrô trahebat anhelitu. Hæc sola neminem interrogabat, *ubi Fulmen* esset? quoniam, id in se lapsum & cõsumptum, palàm clamabat. Operæque pretium est, Vestalis hujus calamitatem cognoscere. Eam, per viridarium sub tecta domiciliúmque festinantem, primus *Fulminis* illabentis terror solam oppresserat: ac mox, per turbines & pulverulentas tenebras, pérque tegularum volitantium fragmina, temerè dis-

cursantem, incertus error per avia inviaque egerat: donec ipsa, ad humillimi marginis, ac pene reliquæ planitiei æqualem puteum delata, discrimē adiit. Jam pedem alterum imposuerat crepidini, tanquam scalarum, per quas fugeret, gradibus institura: jam per præceps itura, lineæ mathematicæ dimidiô distabat à morte: cùm (dictu memorabile!) etiam crassas inter caligines, Matronam videt, extremæ stolæ manus injicientem, & voce non antehac notâ vociferantem; Hactenus, ô puella, hactenus! nam hôc loco nec janua, nec limen est, non scalæ, non gradus, sed puteus, & vorago! Quare, me potiùs, siquid sapis, séquere!

Monenti Floronia paruit: vitámque, tot titulis, quot vulneribus atque periculis, exitiô debi-

debitam, inter ſpem ſaltem & metum, ad pulvinar usque reportavit.

156. Dum huic verborum ſolatia, quæ tempus exigebat, ſuggerimus; dum ei vota, Superúmque fiduciam dictamus: en, nuntius jam alius, à maximâ Veſtali ſubintroductus' Narrat is; Non *hîc Fulmen*, ſed in Caſſinéo, quærendum. Aut illic, aut nusquam, eſſe. Si fortè dubitaremus; Se vel de proximis Pergulis demonſtraturum.

Sequimur nos absque morâ; rectéq; Parthenone valere juſsô, in procœtidem quampiam, ad Caſſinéum vergentem, venimus. Locus hic, ſolis habitatus viris, cœlibatum profeſſis, ubíque, Verſi, notiſſimus, ſupra Parthenonem proximè, multô ædificiorum ſpatiô, extenditur. Nos eum è viciniâ, quantùm

cinis interfusus sinebat, contemplamur. Ibi verò calamitas prorsus conclamata. Non integri muri, non paries, non conclavium penetralia relicta, sinè labè: portarúmque firmissimæ, nec unquam antehac patefieri solitæ, spontè diffractæ, dissilientibus seris atque cardinibus, in ipsis autem culminibus non jam láteres, nec imbrices, sed integra tecta, tanquam Septentrionalî Cauro, transportata. potissimúmque granarium, tot annorum æstatibus refertum, ad ultimam usque paleam, difflatum: &, in pulveres minutissimos contusis granis, totis Tiberiæ plateis, infelix nullíque profutura annona, volitabat.

Etiam, in tali, tam tetro spéctaculô, quærebamus; *Vbi* tandem *Fulmen* esset? Ac, nemine

mine

mine sanctè respondente, de procœtide nos in Urbem ejicimus; atque ad Paulinéum redimus.

157. Jam cœlum, composito nubium tumultu, sensim sibi debitæque luci restituebatur: jam intermissa pluviarum importunitas, diurna negotia revocari permiserat: jam nos, ex tanta trepidatione collectiores, de tempestate præteritâ fortiùs loquebamur, utróque platearum látere disturbata tecta domósque digitô monstrantes, ac de ruinæ causâ disputantes. Cùm, ecce, jam Paulinéo proximis, tristes lugentium ordines occursant. Hi corbibus plebejis atque lintribus injecta, funeratorum Cadavera, inferebant; Inter cætera militem (ut apparebat) præsidiarium; ac pueros, credo, aliquot, merce-

nariásque operas, ante portam ipsam exanimatas. denique Vetulam, membris omnibus ossibúsque, tanquam in pila, contusam. Cæteri, morte jam rigidi, confusis notorum, ignotorúmque lamentis, differebantur: tanquam vicariæ pro omnibus victimæ. Unus solus, vix pendentem, ab extremo licio, spiritum trahebat.

158. Nos nequaquam dubitabamus, quin saltem in istos *Fulmen* isset? Ac nihilominus interrogamus; ne sinè auctore crederemus. cùm, pro porta stans Sophronius Effæarchus; Huc! inquit: hîc sinceriùs omnia cõperietis. Nunc, *Mortuos sinite sepelire mortuos suos*! Raptímque in domesticum nos Sacrarium trahit, illius diei Tutelæ (*Michaeli,*) dedicatum.

Ara illic, & apparatus, quantus-

tuscunque tam arctis parietibus congruebat: necnon in usus extraordinarios sacrifica supellex.

De parvo tholo parva lampas, è vitro, ductis ex orichalco cingulis inserta, pendebat: &, oleô frugali nutritam lucem, non ultrà diem illum meditabatur extendere; ut, aliquô saltem splendore, locus illustraretur. Lampadem istam, lychnuchô suô emotam, tonitrui vis occulta adverso parieti illiserat; fluentibus per maculosum tectorium olei rivis, & in millenas particulas sparsis vitri fragmentis.

Videte, inquit Sophronius, & judicate! An non *hic* saltem *Fulmen* fuerit? quod certè, si Capiti nostro Striges (ut rumor vult) destinârunt; nos incolumes sumus: illæ nihil,

nisi operam suam, & *OLEVM*, perdiderunt.

159. Assensu concordî Sophronii epiphonema comprobamus: ac sinè mora ad Templi Sacrarium contendimus. Ibi recentissima, & adhuc incomperta miracula, *Claudius Pedester*, Sacrorum custos, digitô commonstrat. Vide, Versi, *Fulminum* inexplicabilem potentiam! & nullis adhuc scholis ad fundum usq; deprehensam!

Cista stabat, alta; nec minùs ampla, domunculæ figuràm & fastigium imitata. Sacrarum erat custodia vestium. Inibi, de ferrea justæ crassitiei perticâ, pretiosiores stolæ pendebant. Arca ipsa, querna, pomeridianis horis nunquam non clausa, serisque ferratis anxiè munita, servabatur.

Hanc (inquit Claudius) dum

hôc

hôc ipſo temporis punctô refero, ut nova in craſtinum indumenta promam: ecce, ſtolas omnes & amicula video devoluta, ſinè noxâ, ſinè labecula, ſinè flammæ ullo veſtigio: virgam autem hanc ferream, quovis pollice (ſicut videtis) craſſiorem, occulta tempeſtatis potentia, mediam aut liquefecit, ut ignes ſolent; aut abrupit diffregítque, ſicut oculi judicant. nec tamen interim Damaſcenæ telæ delicata materies, quæ perticæ mediæ ſuperincumbebat, vel unico ſtamine deminuta, ac nec ſtricta quidem eſt. Numquid hîc potiùs, quàm alibi, *Fulmen* erat?

Etiam huic ſuſpicioni, difficile erat, non aſſentiri: tam præſentibus utique deprehenſis conjecturæ cauſſis. Stupore igitur timidiſſimô pleni, reve-

rente dexterâ sacratas synthefes levamus: & quoniam, tantùm non Auribus, Fulmen tenebamus; ad Aram templi primariam tendimus. Ibi, defixis humi genibus, Numini grates persolvimus, quòd in nostra maluisset, quàm in nosipsos, tonare.

160. Sed me jam pridem tintinnabuli pulsus, trinis incitatus tractibus, ad Paulinéi portam vocabat. Non igitur distuli, citanti parère: ne Janitoris in stomachum, & metaphorica tonitrua, inciderem.

Aderant, en, ad Synandronis aditum, Trebatius Jure-Consultus, & Parrhasius, picturæ laude celebratus. Uterque amicorum, è Tiberiensibus, electissimus. Prior Trebatius; O, inquit, & adhuc, Ilibesse, vivis? Immò, inquam ego; etiam alios,

lios, ut mori nolint, cogo, nam in Parthenone modò, deficienti Floroniæ bona verba, novósq; animos ſuggeſſimus : & nunc, Fulmine deprehensô, omnibus perſuadeo; Nequid porrò metuant.

Illicò Trebatius; Et ubinam igitur, aut quibus canibus, in tam certam indaginem perveniſti? ſubjicit.

Cui ego, Aut in Caſſinéo, inquam; aut in Horto noſtro; aut in Larario domeſtico; aut certè, ſi nusquam alibi, in Arca Sacrarii. Simul ei per compendium, quæcunq; compereram, expono, miranti ſimul ac pallenti.

At ille; Nec hic (ópponit) nec illic! Nos ſoli verum in ſinu portamus. Sed, quia tarda ſolet eſſe tua fides; niſi moleſtum eſt, Ilibeſſe, jam nunc è veſtigio

gio in Paulinéi vestri speculam evadamus. Illic in rem præsentem te deducam.

Placet verò (inquam ego) pręsertim, dum clarus etiamnum vesper, & resolutus caligine cinis, oculos non arcent. Momentô igitur ego, Amicíque, intrinsecus conscensô culmine, ad illam fastigii partem properamus; unde liberrimus in subjecta mœnia, positósque è regione Leontarchiæ fines, prospectus est. Indè & *Laura*, Tiberiæ ad Austrum opposita, nostris sese oculis offerebat.

161. Jámq; ad valvas eramus; quas opus non erat, ad spectaculum laxari. quia jam illas tempestatis impetus, unà cum cardinibus evellerat: ne unquã deinceps claudi, aut aperiri, possent. Aspicimus nos (ô monstra!) Tiberiæ murorum partem

tem magnam, jam ſolo æquatam, & in rudera diſperſam innumerabilia: Mox foſſam omnem, cui mœnia imminebant, ſtrage lapidum oppletam, piceâ fuligine deformium, & adhuc fumum inteſtinum exhalantium. Vias porrò, pontésque ſublicios, & hortos atq; agros; tum, quæcunque urbi viciniùs adjacent, circumquaque ſaxis videmus inſtrata. Nam remotiora nondum arbitrabamur.

Ad dexteram verò, cominus eminúsq;, laceratarum ædium, templorum, turriúmque fœdiſſima facies; indicabat, calamitatis ejusdem triſte conſortium.

162. Et quid? (exclamo ego) quid iſtæ murorum ruinæ? mi Trebati! At ille, Virgilianos in verſus, leviter immutatos, devolutus; Hîc (inquit) hîc,

-Vbi

-Vbi disjectas moles, avulsáque saxis
Saxa vides, mistóque undantem pulvere fumum;
Tempestas muros, flammísque emota trisulcis
Fundamenta quatit, Tiberlque, à sedibus, Vrbem
Eruit-

Hic, ante tres adhuc horas, Turris stetit, ac Tiberiæ celebre propugnaculum: nunc, Clades (uti vides) & in pulveres favillásque redacta, murorum Superbia procubuit. Sic *Fulmen* indomita coërcet!

Per fidem (ajo ego) pérque dexteram hanc tuam, quam nunc amplector, vera narras, Trebati, an deludis? Vera! ait ille. Et, *Occulato testi credere*, præsertim gemino, leges omnes jubent. Me, Ilibesse, & hunc Parrha-

Parrhasium audi. Nihil, incertis auctoribus, sed nostris experimentis, depromemus.

Cùm eadem Parrhasius diceret, ego sinè mora, sedile oblongum, quietis caussâ, utrique advolvo. Ac Trebatius quidem & Parrhasius, ad invitationem meam, sic consederunt, ut nihilominus in destinata, extra valvas, loca liberos oculos mitterent. Ego verò, fenestrarum applicitus lateri, dextráque mentum suffulciens; attentissimè Trebatium, nec minore, quàm tu meipsum nunc, Versi, sensûs mollitie audiebā. (Nam, etiam in tenebris, facilé notabam; humentibus subinde oculis, misericordem masculum fluitare.)

163. Tunc ille; Cum Parrhasio (inquit) isto, vixdum prandio confectô, in Sylvam, quam ad

ad Austrum sitam vides, egressus; meridiationis gratiâ sub umbrosis quercubus consederam. Haud ità multùm quieveramus: cùm repentè procellâ, mox & nubium murmure suscitatô, consurgimus: ac Vitruvium (nam hunc otiosi legeramus, ille Picturæ, ego Architectonices studiô) convasamus.

Quercetô jam digressi, per collium tractum, qui *Laura* impendent, festinamus; dextrâ segetes, sinistrâ verò nemus radentes. stimulabátque cursum & ventus, jam magìs ac magìs violentus; & tetrica propinquæ tempestatis facies; & multiplicî bombo congeminata tonitrua; & cœlum primis jam stillis effusiori nimbo præludens.

164. Prætericramus lapideam Crucis statuam, quam scis ex Argillaceo Monte conspicuam, etiam

etiam hucusque renidere. Jámque per declives, & inchoatâ pluviâ lubricos calles, obliquô descensu, *Lauram* petebamus; paratissimum adversûs imbres refugium. Tota tamen in conspectu Tiberia stabat; ac præcipuè Turris illa, quam vos, Græcè locuturi, Naphthophylâcion appellare solebatis: quòd illic naphthæ magna vis, & nitri, ac sulphuris, & in coronas tortæ picis, ac malleolorum incredibilis congeries asservabatur. ut jam conjectura non sit difficilis, quantum vel scintillula, temerè illapsa, fuerit incendium accensura? Rumor olim jam volat (fortasse nec in solidũ verus, nec ex integro vanus) grandem fuisse cupparũ numerum, grandẽ doliolorum aggerem. quem Tibērienses Ephori, incertam in hostilitatem, provi-

dâ parſimoniâ præparaverant: Quódq; nunquam credidi, neq; credã; Tam profundis nitri latebris, támq; inſueta reconditi Sulphuris naturâ; ut Odor, etiã Aquilæ (quantũvis olfactu præſtantis avis) Nares falleret. Sed, nempe Nidor, qui Tonãtis alitẽ latuiſſet; Tonantẽ ipſum, & Fulminis jaculatorem, non latuit.

165. Nam, ecce tibi! dum hanc ipſam materiem mutuis trepidísq; ſermonibus agitamus; dũ ad fulgura tonitruáque ſingula tremulô nictu reſpicimus; dum inter anhelitus, adhuc in aſpectu Tiberiæ, Laurã versùs viam urgemus: repentinô fragore diſruptæ nubes, ante oculos noſtros *Fulmen* elidunt. Hoc, cærulô livore terrificum, ſinè conſuetis ambagibus, rectô præcipitiô in Naphthophylácium irruit: longéq; reſonabili tumul-

ta mox nitrum, & bitumen, &, eum pice, sulphuris cõgeriem, pervadit; inenarrabilî discurrẽtis flammæ celeritate. Ac pars quidem cœlestis incendii, recessibus terræ profundioribus cohibita, implacabilî fremitu, furiosóq; mugitu, perruptis fundamentis, exitum moliebatur.

Pars autem fulminis liberioris, velociùs quàm nictâsses,) aspiciẽtibus nobis, & amenti cõsternatione succlamãtibus) propugnaculum ipsum, cum parte mœnium, funditus ávulsum, universâ cum mole, sursùm in auras raptat; adhuc in alto, cũ tectis, & apicatô fastigiô agnoscendum. Illic, momentô non ampliùs unicô pendens Turris (verè Pyrobolus immanis & insolitus!) luctante introrsum, insanis cũ reboatibus, sulphuratô turbine, disrũpitur; novô quodam

dam, & immaniore cũ tonitru.

Simul, circumquaq; bacchantibus furiis, succensa pix, cæruleùmque Sulphur, &, cum malleolis, nitrati pulveris innumerabiles átomi, scintillis flammantibus, diffunduntur. Una Turris, in decies millenas lácerata partes, undequaque saxa, láteres, tegulas, cæmenta, calcem, tigna, trabes, compages, ferreásque commissuras, & doliorum atque cupparum cineres, cum flammis dispergit.

Ætnam dixisses Siculam, aut, Campaniæ vinetis calamitosum Vesuvium! Ità (quod ipsi partim vidimus, partim nunc intrà mœnia experimur) nihil totâ viciniâ, ac nec eminus quidem, intactum evasit.

166. Et antrorsum quidem, ut aspicis (Ilibesse) semitæ, campi, arva, vireta, pomaria, lapi-

lapidum fragmentis inſtrata, tum & mortalium non paucorũ funera, clade obruta. Quódque inter vetera portenta numeres; notabilis magnitudinis ſaxum, ad LAURAM usq; plus mille quadringentis paſſibus Tiberiâ diſſitam, provolavit, tantúmque non ante pedes, veſtigiaque noſtra, cum impetu procubuit. Ipſius Lauræ, ſolidum aſceterion, beatæque ſolitudines, ab tanto ſpatio, intremuerunt: ac, diſſilientibus particulatim clathris & ſpecularibus, pæne Sermonis neceſſitatem Silentibus incolis expreſſerunt, ut interrogare libéret; An Mundus interiret?

Siniſtrum ad latus, quas furias exprompſerit Fulmineus impetus; Paulinéum veſtrum, ac te ipſum, Ilibeſſe, interroga. loquetur idem, etiam Veſtaliũ,

in propinquo, facrum Gynæcéon. Dextrà verò, quà Caſſinéum aſpicimus, quid hæc, & hæc? aut illa, atque illa, damna numeremus? cùm oculis præſentiſſimis judicemus; Locum illum omnem, quantuscunque eſt, Nihil integrum retinere?

167. A tergo verò, quà Tiberia univerſa, Navis ad ſimilitudinem, prolixô tractu extenditur; quam eloquentiam, aut ex quo Tullio depromam: ut calamitatis fidem, apud aures tuas, inveniam?

Audivi referentes, hac ipſa primùm horâ, nec paucos revera teſtes, nec leves: qui, ad primum cœleſtis flammæ lapſum, dicerent; etiam Therulanos (nôſti, quod ſectæ genus?) talium cæteroquin irriſores, & adverſùm tonitrua, (ſereno præſertim cœlô) Thraſones:

nes: tamen consternatos, tamen expalluisse, tamen exclamâsse, tamen etiam Crucibus pectora, refugasque frontes, (utcunque docili digitô) consignâsse.

Narrat Uxor mihi, nec expleri fando potest; Quis, Urbe pæne totâ, ad recentissimi Fulminis longum stridorem, clamor? quis, ad imbricum concussionem motus? quis, intrà penetralia pleraque, tumultus? quæ fœminarum comploratio? quis in publicum procursus, discursusque sit exortus? cùm è conclavibus alii vel thalamis, alii de coquinis cellisque & penore, terræ succussibus excitati, prorumperent, cùm Numen quidam, NuminisqueMatrem; nonnulli, ô *Fidem*! ô *Dei Verbum*! ô *serva nos*, ingeminarent. cùm matrum aliæ,

raptos è cunabulis parvulos; aliæ papillis adhuc lactique inhærentes, dispassis ac semipexis capillis; nonnullæ, vittis negligenti tæniâ fluentibus, incertò cum ploratu vagarentur: & nunc lamentis relictam sobolem, nunc ululatibus maritalem aut præsentiam requirerent, aut absentiam miserarentur. cùm ex officinis, fabrûm alii cum malleis, alii correptô forcipibus titione prosilirent. cùm ægri quoque ac febricitantes se lectulis, propemodum seminudi, vel, injectis in humeros lodicibus, proriperent. cùm illi quoque, qui se claudos priùs crediderant, tunc æquis passibus solitudinem fugerent. cùm densâ pulveris nube, quæ Tiberiam totam involverat, omnes oppleti, tanquam è pistrino moláve recens digressi, quasi pol-

polline ſorderent. cùm aliis alii, jactu lapidum laceratas manus, aut læſa capita monſtrarent: alii viſas in cubiculis flammas, & Fulminis ſtricturas narrârent : omniúmque vox eſſet una, *Cecidit* ! *Cecidit* ! illa vetus Tiberia !

168. Ruebant enim verè (quod omnes narrant) prorſum retrorſumque, & ſurſum deorſumque non tegulæ ſolùm, & lapides, ac ſilicum innumerabilis multitudo; ſed quadratarum rupium ſolida grandiaque ſegmenta. & alia quidem tectis ac ſolariis injecta : alia valvis, foribusque & parietibus impacta : quædam etiam, minutiſſimè disperſis fruſtis, obviorum corporibus illiſa. Conſtatque; ad Parthenonem usq; Inferiorem, atq; ad Tiberiæ principem Baſilicam, ſcopuloſa pondera provolâſſe.

Nunc igitur, quacunque via eſt; per Ruinæ rudera, Fulminisque veſtigia, trepidus nobis atq; ſuſpicax pes trahendus eſt.

169. In hæc verba Parrhaſius; At hoc ipſum, inquit (ſed pace tuâ ſermonem, Trebati, interruperim) nondum in compendio, neque plenum eſt. Ut videat Ilibeſſus propulſorum incredibilem impetum; ecce, modò, priusquam domo regreſſus, tecum ad Paulinéum irem; frater ſupervenit, meum ex urbanâ ſylvula reditum, tam innoxium, gratulaturus. Is narrat; cùm eodem temporis articulo, quo ſe Tempeſtas exoneravit, de ponte Tiberiæ lapideo, in ſublabentem Bunadiũ, otioſus deſpiceret: juſtæ molis Saxum, ac fortaſſis hortenſi veſtrò non inferius, ex Naphthophylacio propulſum, flammarum adhuc re-

reliquiis lucidum, trans tecta, domos, atque turres, ultraque universam Tiberiæ latitudinem volitâsse: repentéque (multis in ripâ spectantibus & attonitis) Onerariæ, quæ tunc in flumine natabat, illapsum, latus navis pleno foramine lacerâsse. Quis ad ista non palleat?

170. Ad id verò, quod ego subnectam, (inquit Trebatius) quis non etiam ingemiscat, & illacrymetur? Corónis ista sit, & narrationum mearum epilogus; quoniam nos vesper, tenebris vicinus, ad corporum quoque curam vocat. Scies, Ilibesse, discesque vel ab iis, qui à te tuisque doceri nolunt; me verum dicere.

En! propemodum ad alterum àPaulinéo stadium domus est; quam, ad Caffinéum subinde ambulantes, dextrà neces-

ſariò præterimus, atque etiam cubitô radimus. Hujus domûs hera, Niobæa nomine, Therulanorum addicta cultibus, anni ſuperioris Juniô, de lecto viduô ſecundas ad nuptias commigrârat. Nec adhuc menſis evolutus eſt, ex quo fœtum puerperio laxavit. Decumbebat etiam hodie (more jureque ſuô) &, quia pomeridianam quietem tonitruum fragor abſciderat; vocatâ ſorore, faſciis jubet puerum evolvi, atque ad ſe in thalamum apportari. Morâ nullâ, de cunis infantulus exſolvitur: maternis ulnis inſeritur; ipſa, papillæ inhiantem, baſiare incipit; &, ad parietem converſô vultu, lactare.

171. Inter hæc, cœli furor, & Fulmen ruit: turris pyria diſſipatur: marmoris acutum fragmen, ſupra Parthenonem ſummum

mum impellitur, velut in Iridis curvitatẽ libratô pondere mox, in preceps detortum, vi magnâ, Niobææ cubiculo ingruit; perfractisque momentô valvis, ac fenestris, aversæ Puerperæ tergo impingitur.

Mulier, lethiferâ susceptâ plagâ, hoc tantùm; Ah! me miseram! exclamat: Occidi! Translatóque in Sororis ulnas parvulô; sanguine simul & lacte natans, exspirat.

Quis non hanc Semelem potiùs, quàm Niobæam dixisset? si aut Jovem Religio nostra: aut Bacchi fabulam Infans, in tam seriâ tragædiâ, pateretur?

Equidem, cadaver ipsum, suâ in domo, ac modò, vidi: ne quis vestrum me putet aut vana narrare, aut transmarina, aut veterum historicorum fragmẽta.

172. Quæ Trebatius post-

quam recenſuit: quoniam cœnæ tempus inſtabat; horrore mutuò ſtupefacti, diſcedimus. Atque illi quidem domum ſuã: ego verò ad Sophronium *Eſſæarchum*; ut tam inſolitorum conſcientiâ, etiam ipſum aſpergam.

Tunc primùm, agere gratias pertinaciæ meæ cœpi; quòd Theangelo, diſceſſionem è Marinéo ſuadenti, morem non geſſiſſem. Nec tegularum enim *lapſum*, ex omni undique tecto fluentium; nec ſimillima Niobææ, ac cæterorum funerum, fata effugiſſem. Ideò, Etiam ſapienter monentibus, interdum ſapientiùs repugnatur.

Nox autem, quæ tot caſibus ſucceſſit, redeuntibus in nubila tonitruis, formidinem (omniũ confeſſione) auxit, cùm jam, nativas inter tenebras (ad quas, etiam

etiam Fortes vacillant) diurnæ ſtragis imago recurreret: cùm cuncti ſæva cuncta, præteritisque atrociora conciperent. Plerosque tunc ſolitudinis pigebat. Et, quamvis ſine comite nemo ambularet; tamen adhuc alter alterum, ac pæne Seipſum, quisque formidabat: tanquam ambuſtum, aut nefaſti Fulminis reliquias redolentem. Hinc ille, mi Verſi, terror meus: hinc, etiam nunc, ad recordationem nudam, tacitè defluentes lacrymæ; magisque ac magis, identidem medullas perſtringẽs horror. Occurrebant quippe tunc, apparebantque, phantaſmati nimis tenaci,

- - - Diræ facies, inimicaq; Trojæ
Numina magna Deûm-
Tunc demum, omne mihi viſum conſidere in Ignes

Ilium; &, ex imo, Tiberina Colonia verti.

173. Quare noctem, inter mœstissimas inambulationes, insomnem duximus, posteroque die, vix tandem cum radiis restitutô, statim atrocem Historiam non tantùm homines, sed & Aves, vulgârunt. Certéque, in summi Parthenonis camino sedens Ciconia, providâ fugâ (quam plures observârunt) Tiberiam primô diluculô reliquit; hesternumque periculum, usque in Thraciam suam, atque Scythas, nunciavit.

Nec Poëta, (nescio quis) pepercit, posteritati narrare: cùm, post menses aliquot, *Fulminis* tragœdiam, amicorum impulsu, Marmori, scalpellis minutissimis, inscriberet.

Versus etiamnum in memoria sunt: quorum de numero

quos-

quosdam tibi, Versi, recitare volo; tanquam narrationis nostræ summam amplexos.

Eo in poëmate, qualìquali, post lapidei Pontis, &, Simulacri, crepidinem insidentis, laudes, sic vates ille canit; Tartari, in sacra tecta, rabiem notaturus.

174. *Clara Tiberiados semper fuit Arcis, & ampla,*
In Cœlum pietas! Vix ist, quæ plura sub axem
Subrigeret seu templa Deo, seu Limina Divis.
Ter centena docent Superûm hoc penetralia. Lævùm
Vidit, & invidit, veteri Rex Inferus Vrbi;
Non jam, quò cæptum est, procedere tramite cives
Passus, &, emeritâ nubes transcendere famâ.

 Quid

Quid memorem? quod Saxa satis,
tumuliq; loquuntur;
Tunc, cùm Bunadii flueret sine for-
nice cursus,
(Flumen adhuc nudum, puraq;, &
simplicis undæ)
Non hôc Sacrorum ritu, non cultibus
istis,
Non grege divisô, Pastores arvâ pe-
tisse?
Grex Unus, Mens Una fuit. Nunc
duplice Christô,
Tenditur in varium. Quamvis, quid
vulnera tangi
Ægra juvat? cassoq; ulcus monitore
fricari?
Hîc utinam, hîc saltem finem sta-
tuisset, Avernus!
Semina nequitiæ, passim atrîs obru-
ta glebis,
Extulit in frugem, ac maturum fal-
cibus Annum,
Lappasq; spinasq; legens, viciamq;
strepentem.

Far

Far contrà, & similam, & melioris tritica culmi,
Invasit populante Eurô, flammaq; triformî:
Radices etiam conatus, &, urere fibras,
Spes agri extremas. Odium Res ipsa loquatur!
Vixdum etiam est mediô Sol aureus orbe peractus;
Cùm, trepido ruptum coelô, renuentibus altô
Fulgure sideribus, calidumq; boantibus aurîs,
Horrificos inter Fulmen furiale tumultus
Ivit: &, Australi quâ Mœnia fronte minantur,
Calle datô, penitùs turrita sub antra cucurrit.
Continuo, en, fremitus! qualem dat Teda, vel usta
Ventre cavô Quercus; quam flammâ & funere victam.

Pe-

Pastores, agili de montibus impete trudunt,
Vicinoq; lacu mergunt. Tonat intus, & undat
Seditione Palus. fumat procùl ira paludis.
Longè aliquid majus crepuit Globus Ignifer: Intrà
Dum nitri coctura sagax, & missile Sulphur,
Ac piceata lues, celeri flammata fragore,
Ignibus indomitis iter eluctantur: & altam,
Stirpitus evulsam (prô, Vis nusquam ulla trisulca
Par Furiæ!) impellunt, irata in nubila, Turrim.
Illicet insequitur (quis non miserabile credat,
Vel meminisse?) soli murmur, laterumq; volantûm
Innumerata seges; sternuntur inania saxis

Atria;

Atria ; procumbunt postes ; convulsa
fatiscunt
Pergama templorum. Ruit omnis, &
omnis , ab omni
Tegula conglomerata Notô: Neq; cul-
minis usquam
Inviolata sedent , stabilî suggrundia
fulcrô.
Ipsa avidîs distracta volant grana-
ria Caurîs.
Non ità grando ruit, pugnantibus
acta procellis ;
Non ita Nix , densîs brumoso à tur-
bine floccis :
Quàm spissus Silicum tunc nimbus.
Et, impete trusa
Fulmineô, Vada Bunadii, scopuli hor-
rida moles
Contigit ; ac, refugîs liquida in pene-
tralia Nimphîs,
Externavit Aquas : puppesq; & ro-
bora mersit.
Ipsa etiam intremuêre Auræ , tot ca-
sibus icta.

Nos,

Nos, quibus ille dies supremum
effulgere visus,
Progredimur (sive illud erat, reptare
per umbras)
Progredimur; fractæq; malis, miserescimus Vrbis.
Occurrunt vivæ Mortes, & mortua Vita
Pallentûm longis plateîs. Color omnibus Vnus,
Vox est Vna; Ruit, ruit urbs! *excedimus Vrbe!*
Fit fuga, fit timidîs propera emigratio tectîs:
Vulgus & innumerum, mediis in cladibus, audet
Credere, se cladem & Mundi vitare ruinas.

175. *Vnica frondosô (nec enim meminisse pigebit)*
Incubat Infelix, sed cauta, Ciconia, nidô.
Sarmentis caput immergens, &, ab ilibus, almum

Sub-

Subducens collum. Hanc circùm volat improbus imber,
Et lapidum insultus. quem pennîs excutit ales;
Aut, quà frustra obstat, pénitùs latet abdita gerrîs:
Mutatura locum, si lux modò Postera detur.

176. Hactenus (inquam) tumultuariò verborum fluxu recitaveram: multis hinc indè Versibus prætermissis: quos marmoreum tamen monimentum nascituris asservat.

Secundùm hæc, quòd Versium meum, Narrationis totâ serie, notaveram, nunc in gemitus & suspiria, aliàs in singultus etiam, clarósque fletus solvi (propter thema utique mœstissimum) manu correptum, de scabello, cuj institerat, deduco: ac, Bonô esse animô, jubeo. Adhuc, inquam, uterque, post

post tam luctuosum *Fulmen*, vivimus! Quòd autem ossa tibi tremunt (nam deprehenderam) & imma viscera contrahuntur: non est hoc, nec fuit, Amplificationis meæ; sed, argumenti ipsius, sed Historiæ, per omnia sic exactæ. Ac, præter hoc, metum intendit, is ipse, in quo stetimus, Noctis horror, tenebrarumque densitas: &, subinde per intervalla murmurans, atque fulgurans, æther. Ad me quod attinet, Versi; præstiti semel, quod promisi frequenter: & prolixè quidem, atque ab Ovis (quod ajunt) ad usque Mala, ut videas; Solere me pollicita differre; sed dilata multô cum fœnore, repræsentare. Nunc, bonâ Numinis veniâ, placidè cònquiescamus!

Quibus ego dictîs, præconceptisque precibus, Superum fidu-

fiduciæ, totiusque diei & noctis lassitudini, indormivi. Versius autem, adhuc metu extra se positus, vix tribus adjectis verbis, noctem (sicuti postmodum referebat) insomnem habuit.

177. Et illum quidem nocturnæ narrationis imago, vivida rerum hypotypósi recurrens, naturali pavore territabat. Me verò, haud ita multò ante lucem, in sinistrum lectuli latus converso capite, exercitare Somnia cœperunt. Sive recentibus pridiani sermonis reliquiis, Species nondum consumptæ gliscerent: sive turbidi, choleramque solitam ad cerebrum propellentis, Sanguinis tumultu, venæ capitis miscerentur: atrocia dormienti offerebantur. Tonitrua modò, me, pendensque casuris nubibus cœlum; modò scissus fulguribus

bus æther, &, atroci siderum ira præcipitatæ flammæ, consternabant. Indidem (solita talium imaginum fugacitate) repentè Constantinopolim mihi videbar, & *Fulminatum* Anastasium conspicere: mox, in summo Sophiæ culmine consistens, Bosphorum Thracium, à Byzantio Chalcidem usque, conspicere, flammis relucentem. Interroganti; Quis hic splendor, aut, Cujus *originis* esset? respondebatur absurda, nec usquam cohærente, philosophia; Propterea Propontidem totam ad usque Cyaneos Scopulos conflagrare: quod Hecla, Mons ultimæ Thules, solitò copiosiùs exæstuaret.

Præterea, Turcarum monarchæ filium esse progenitum, Augustô mense: cujus in sacrilega Circumcisione, funestis o-
mi-

minibus, temerè diſperſa flamma, plusquam triginta domicíliorum millia, paucis horis, in cinerem ſolviſſet.

178. Quæ mihi, cùm, neſcio quis Græculus, Atticis verborum coloribus, tanquam in declamatione, pingeret: repentè Conſtantinopoli, totóque Boſphorô, ſubductis, in Palæſtina mihi videbar, ad Aſphaltiten Lacum, conſiſtere. Hunc ſanctior lingua Mare Mortuum appellat. Ibi quoque, vixdum libatô tam lubrici conſpectûs miraculô; ſiccantur Undæ. Jamque, pro littoribus, utrimque Montes, & incincta vinetis ſpatioſa Vallis, ante oculos ponitur. Mox Urbes ſurgebant, ad antiquæ, ſed incompoſitæ, majeſtatis formam. In his Sodoma, Gomorrhaq; eminebant. Cælum verò, quod Pentapoli im-

imminebat, procellis veluti sulphureis, & ambustis pice nubibus grave, universum tumebat. Neç multa in Singulos, sed Unum quoddam in Omnes *Fulmen*, cum indignatione longè clarissimâ, spirabat. Jamque ceciderat: jam *Vallis* illa *Delicata*, teter rogus, & bustum, erat: jam ego quoque spectaculorum atrocitate, per aërem in montes ablatus; ad Statuã, quam *uxoris Lothi*, nominant, restiteram. Circùm hanc armenta pascebantur, & greges. Subindéque, dulce pabulum acrimonia grata temperaturæ Vaccæ, prodigiosum *Salem* adlingebant. nec tamen Statua, vel unô granô, decrescebat.

179. Inter hos ineptientis phantasiæ tot circuitus, tandem quietam contemplationem in Ba-

Basi stiti ejusdem simulacri. Videbatur enim, ceu solidior , & ad marmoris duritiem propiùs accedens, hos, miniô tenuissimô inscriptos hendecasyllabos , lecturis offerre : quibus Sodomæi FULMINIS theatrum, & Curiosæ Mulieris fatuus respectus, strictim proponeretur. Nihil ex omni sopore vivaciùs sequitur expergefactos; quàm, quod sub diluculum , discussioribus jam spiritibus, somnia impresserunt, Igitur adhuc Versus illos commemini; non absque turbulento, tam atrocis , & aduc hodie per fumum suum tralucentis, Incendii horrore.

180. JAM *naphthâ, & piceo*
fluebat imbre.
Flammatô liquidum furore Cœlũ,
Jam, siccô priùs alligata centro:
Tellus Empyriis natabat undis;

 Jam

Jam Sol, astraq; nubiliq; tractus,
Et, quidquid vagus occupavit Eurus,
Et, quidquid Nabathæa fovit Aura,
Unum Sulphur erant, & Ignis unus.
Ah! vernô nitidus virore nuper
Campus, nec Cereris malignioris,
Nec glebæ sibi conscius novercæ,
Ah, nunc degeneri fatiscit alvô!
Pro lætis Sodomæ libidinantis
Bacchanalibus, Orgiisq;, vastô
Vulcanalia perstrepunt fragore.
Pro tot vitiferisq; floridisq;,
Per declivia, Vallibus, vel Hortis
(Hortis, Hesperiô Dracone dignis)
Exustam Liparem, nigramq; Thulem,
Dant Flammæ, fluviis rapaciores.
181. *Inter tot Superi furoris æstus,*
Inter tot Cypridos flagrantis ignes,
Non illuc oculos, & ora, vertat.
In-

Inβitum unde pedem, fugamq́
traxit.
Uxor non bona, tam boni mariti?
Esto: cœlite diβocata jussu,
Esto! Numine demonẽte: nũ non
Assueti βideat Penatis urbem?
Non respectet, adulterante nictu?
Non βel nutibus ultimis relibet,
Quintô mœnia dissipanda bustô?
Non cœli βideat pluentis Ætnas?
Non, sparsas creperô Faces tu-
multu?
Non, ruptas calidô fragore Portas?
Non, jactas ab humo sub astra mo-
les?
Non, Turres iterum ætheri cadu-
(cas?
Non, tot Saxa, suis reβulsa tectis?
Non, tortô juga turbinata bombo?
Non, atros Pice bulliente fluctus?
Non, Mersos simul, & simul Cre-
matos,
Pœnarum dubiô tenore, Ciβes?
Non, postliminiò suos miserta,
Unà lacrymet? intremiscat unà?

Nō par funus eat, comesq; bustum?

182. *Res est Fœmina, Vana, Curiosa!*

RESPEXIT, *facili reflexa collô:*
Unoq; est Sodomam remēsa totam,
Nec longô, aut saturô, Virago, nictu.
Sensit non leve palpebræ vagantis
De se supplicium, domiq; natum;
Ne quis nesciat, INTUS *esse culpam.*

183. *Nam, dum stans queritur, doletq; Lothis;*
Quòd tātum Æthereo liceret Igni:
Dum voces meditatur, atque Murmur,
(Fortasse in Superos, & Ultionem!)
Strictæ diriguit Saliva linguæ:
Quæ, pro spumifera loquacitate,
Lentæ glomus aquæ, marisq; salsi
Sputavit laticem siticulosum.
Tunc vulsura Comas, levârat altam
In sublime manum, dolente gestu:
Hem! pro cæsarie, rigente canis,

Hirti

Hirti pro Nive verticis, fluentes
Abrasis SALIS, hinc & indè, micas.
Jam, quicquid Mulier fuit,
Columna est.
Jam SAL, de pelagi gelatus undis.
Ne quis vel Tumulum, vel, ad
Cadaver.
Cippum ponere posteris laboret;
En! ipsum sibi (sic volente pœnâ)
Cippusque & Tumulus, Cadaver
astat!

184. Die postero jam pridem vigilantes, Mison Essæarchus convenit, domumque suam humaniter reducit. Cùm deinde Marcomanniam, ac maximè regni caput, TRIPOLIM, cogitaremus; ille, manibus injectis (non ingratâ tamen vi) civiliter tergiversantes detinuit. Per dies igitur complures, illius Meridie Vesperaque vivimus: quia Cogenti, nulla videbatur Injuria,

nec per Abusum quidem, infligi.

Cæterùm, qui nos porrò, quàm digni labores, honestissimîs Musarum otiis immixti, exceperint; quàm, sine nubibus sollicitudinum, puri Soles cucurrerint: Calamus iste (qui tunc in Ansere suo nondum natus erat) si scire potuisset, consignâsset.

Nunc autem, secretorum hactenus, nec amplius, conscius; tantisper quietem stylus admittit. ICARIAM aliam, dies alius dabit. Ac fortassis, in hujus tituli hederam intrabit, quæcunque Terrarum vel Insularum Aquilonis, aut Baltici maris, sive Solem, sive Solia (AQUILARUM tantummodò volatui concessa) temerariis ascensibus affectabit. Ibi, quisquis ALARICUS, tantæ spei deceptîs conatibus excussus, peditum CRISTAS, & equitum

ALAS,

ALAS, contra saluberrima DAEDALI monita, amittet; is mihi perdidisse PENNAS dicetur, CALORE Martiô resolutas: ac quantumvis invitus, vel Sibi suisque Carus; Mihi tamen ICARUS & erit, & salutabitur.

ICARIÆ
INDEX:
Seu,
PERIOCHA,
In numeros distri-
buta.

8. *Iti-*

35. Ne-

82. Ju-

INDEX.

112. Neg-

133. Fraus,

156. Cas-

180. Ful-

INDEX.

FINIS.